1 G. XX. 34 39273 | B | 1



42X·E.1 25028. 9835

Hodgson 23/6/30

GVSTAVI ORRAEI

M. D. CONSILIARII COLLEGIORVM ET SOCIETATIS LIBERAE OECO-
NOMICAE PETROPOLITANAE MEMBRI

DESCRIPTIO PESTIS

QVAE

ANNO MDCCLXX. IN JASSIA, ET MDCCLXXI. IN MOSCVA
GRASSATA EST.



PETROPOLI
SVMTV IOANNIS ZACHARIAE LOGAN, BIBLIOPOLAE
MDCCLXXIV.

Peruenit ad miſeros, damno grauiore colonos
Peſtis, & in magnae dominatur moenibus vrbis.
Viſcera torrentur primo; flammaeque latentis
Indicium ruber eſt, & ductus anhelitus aegre.
Aſpera lingua tumet; trepidiſque arentia venis
Ora patent; auraeque graues captantur hiatu.
Non ſtratum, non vlla pati velamina poſſunt:
Dura ſed in terra ponunt praecordia: nec fit
Corpus humo gelidum, ſed humus de corpore feruet.
Nec moderator adeſt; inque ipſos ſaeua medentes
Erumpit clades; obſuntque authoribus artes.
Quo propior quiſque eſt, ſeruitque fidelius aegro;
In partem leti citius venit. — —

Ouid, Metamorph. Lib. VII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

PRAEFATIO.

Serius ſane, quam ſperaueram, in lucem prodit opuſculum hoc, in peſte ipſa jam inchoatum, ob varia vero praepedimenta hucuſque retardatum.

Non tamen prorſus inutile vel ſuperuacaneum futurum, conſideratio haec mihi perſuaſit, quod ex numeroſiſſimis de peſte ſcriptis, pauciſſima certe ab autoptis, vel qui peſtiferos ipſos curauerint, exarata proſtent, totaque doctrina luis huius pernicioſiſſimae, ex communi Medicorum conſenſu, in hunc vſque diem parum omnino profecerit; non niſi obſeruationibus vlterioribus excolenda.

Vt vero haſce conquirerem, & pro viribus, ſymbolam quoque meam, in publicum commodum conferrem, euidentiſſimo vitae periculo me vltro commiſi; quas itaque qualeſcunque ſint, tenebris obliuionis penitus tradere, nolui.

Conſcripſi quidem tempore peſtis, tam Jaſſiae, quam Moſcuae, juſſu ſuperiorum, & ob neceſſitatem vrgentem, ſchediaſmata breuia, quae partim ſub meo proprio, ſed idiomate ſolum ruſſico, partim vero, ſub alius cuiuſdam, (nimis forte honorifice de opellis tam imperfectis, nec plenariae publicationi deſtinatis ſentientis) nomine, in nonnullis diariis & libellis diuulgata fuerunt. Interea, quia quoad eſ-

ſentia-

ſentialia, cum praeſenti tractatu ad amuſſim conueniunt, & tanquam ſceleta eius conſiderari poſſunt, pro firmiſſimo argumento erunt, me poſtmodum in ſententiis meis nihil immutaſſe.

Poſt tranſactam vitam valde moleſtam, exoptato tandem otio potitus, aduerſaria peruoluere, obſeruationes in ordinem redigere, & quae ex illis ſequi videbantur, tam certa (quantum veritati hiſtoricae inniti poteſt), quam probabilia ſaltem, ſub propria capita referre incepi.

Hinc enata mihi fuit diuiſio opuſculi in ſectionem hiſtoricam & problematicam.

In priore enarraui

I) Hiſtorias peſtis Jaſſienſis & Moſcuenſis, quarum poſterior, cum deſcriptione illa, quam Collegium ſanitatis, mandato & impenſis *Auguſtiſſimae Imperatricis*, ex diariis & relationibus authenticis conſignatam, lingua vernacula edidit, exacte concordat.

II) Sub titulo experientiarum, generaliora, diagnoſin, therapiam & prophylaxin peſtis complexus, obſeruationibus pluribus conſentaneis & in vtraque peſte communibus, propoſitiones formatas probare anniſus ſum. Perſuaſum enim mihi habeo, obſeruationes vtut ingenuas & momentoſas, tunc demum vtilitatem debitam, in promouenda ſcientia medica praeſtare, quando ex ſolitariis & diſperſis, euidenter conuenientibus, & ſub propria themata collectis, theoremata firma, pro baſi & tanquam canonibus futura, ſtabiliantur. De certitudine praeſentium hoc affirmare poſſum, quod obſeruationes maximam quoad partem a me ipſo factae, nonnullae quoque ex narrationibus vnanimis medentium, vel aliorum fide dignorum, notatae fuerint; quae in dubitationem adduci eo minus

minus crediderim, dum pleraeque earum, ſaltem principaliores, ex ſcriptis loimographorum autoptarum, inter quos Diemerbroeckium & Chenotum inprimis ſuſpicio, confirmari poſſunt.

III) Hiſtorias morborum particulares non niſi pauciores, in medium protuli, vt ſingulae peſtis ſpeciei, ſaltem bina exempla exſtarent.

IV) Obſeruationes recenſui ſolitarias, quae ſub experientiis locum non inuenerunt & tandem

V) Experimentorum quorundam mentionem feci, & quo conſilio capta, qualemque ſucceſſum habuerint, ſincere expoſui.

Sectionem poſteriorem problematicam dixi, vtpote conſectaria ſeu corollaria ex ſectione hiſtorica fluentia, & in doctrinae peſtis emendationem collineantia, quae tamen pro plene demonſtratis haud vendito, continentem. Aſſertionum, ex quibus nonnullas audaces forte imo paradoxas, primo intuitu apparere praeuideo, rationes decidendi, ex experientiis & obſeruationibus in ſectione hiſtorica traditis potiſſimum, rarius aliunde, tum etiam ex ſana Phyſiologia & Pathologia, analogia quoque ſubinde in ſubſidium, vocata, depromſi. Cogitata haec mea, limatiori aliorum judicio ſubmittere, hanc inprimis ob rationem vix haeſitaui, quod ſi in vllo vnquam morbo, certe in peſte, actionum corporis quamplurimarum laeſiones, & ſymptomatum viciſſitudines, a leuiſſimis inde initiis, ad ſummum

ſummum vſque atrocitatis faſtigium, & quidem citiſſimo plerumque decurſu, manifeſto admodum contingunt, ex quibus ad multa, quae in aliis morbis obſcure & inſenſibiliter fere fiunt, ſat euidenter concludi poteſt. In diſcurſiones ampliores, quibus argumenta vndique colligenda, authores multi citandi, & omnia ſtylo extenſo exponenda eſſent, non deſcendi; nam tunc ex ſingulo fere conſectario, diſſertatio juſto prolixior exaranda fuiſſet. Hac vice, id mihi negotii ſolum ſumſi, momenta illa diuerſa, quatenus ex antecedentibus euinci, & ad explicanda phaenomena peſtis ſat clare conducere videbantur, ſaltem periclitari, & labris tantummodo, vt aiunt, primoribus attingere. Caeterum, pro maximo pretio periculi & laborum exantlatorum habebo, ſi quaedam ſaltem propoſitionum harum ſeſe ſufficienter probabunt; quod niſi omnia me fallant, ſperare auſim.

SECTIO HISTORICA.

Hiſtoria peſtis Jaſſienſis.

Deuicta & profligata; menſe Septembris anni MDCCLXIX. ampliſſima illa turba Turcarum, qui ſub caſtello Chozim congregati fuerunt, illisque per Moldauiam & Wallachiam, Danubium praecipitanter petentibus, exercitus noſtri pars, fugitiuos inſequebatur; Metropoli denique Moldauiae Jaſſia, & tota prouincia in ditionem redactis, cohortes minores, undique ubi Turcae adhuc ſubſiſterent, ablegabantur. Harum una, quam tunc temporis, Chiliarchae locum tenens Fabrician ducebat, juxta Gallaz (oppidum Moldauiae, cum portu haud contemnendo, in ripa citeriori

Danubii, inter oſtia fluuiorum Pruth & Sereth ſitum) copiarum inimicarum haud paruum numerum, ſub finem Nouembris, offendebat, & tam felici ſucceſſu aggrediebatur, vt poſt pugnam acerrimam, victorioſam, multi etiam ex primariis, inter quos Princeps Moldauiae, Maurocordatus, comprehenderentur. Praefectus hic militum, oppido potitus, praeſidium in eo collocauit, aegrotos quoque & ſaucios, qui rigori tempeſtatis perferendo impares erant, in domos habitantium diſtribuit; de peſte, per naues turcicas e Conſtantinopoli, nuperrime adducta, quaeque ipſis incolis vixdum innotuit, nihil ſuſpicans. Paucis vero transactis diebus, nonnulli ex praeſidiariis & aegrotantibus, uti quoque Subchirurgus quidam, curam illorum gerens, cum ſignis peſtis, erroriuntur. Ex militibus, qui apud Principem captiuum excubias agebant, duo idem fatum experiuntur. Euacuato, hanc praecipue ob rationem, loco hoc periculoſo, lues inter milites, in itinere, quod verſus Jaſſiam inſtituebatur, breui euanuit; quod ipſum, anſam dubitandi ſuppeditauit: an morbus, ex quo pauciores illi e vita ceſſerunt, vera fuerit peſtis? et, uti in circumſtantiis hiſce, ſemper fere fieri ſolet, omnia in meliorem partem interpretabantur.

Quamprimum cohors haec Jaſſiam reuenit, milites ſine omni ſuſpicione, tam ſani, quam aegroti, illi in habitacula ciuium, hi vero in noſocomium militare, quod in palatio Principum Moldauiae conſtitutum erat, hibernorum cauſſa diſponuntur. Septimanae circiter tres tranquillae praeterlabuntur, nullaque mali tam lugubris indicia exſtabant. Menſis vero Januarii anni MDCCLXX. nondum medietatem attigit, quum Chirurgi in noſocomio ſtipendia merentes, non ſolum multas febres petechiales, ſed etiam in quibusdam ex his, poſt ſeptimum & octauum morbi diem, bubones inſolitos ſub inguinibus, in regione ſuperiore cruris, obſeruarent; qui, tanquam criſes imperfectae, per metaſtaſin oborti, necquicquam mali portendere videbantur, dum primi aegroti, poſt inſecutam ſuppurationem & conſolidationem vlcerum,

per-

perfecte conualuerunt; immo, in nonnullis, bubones hi, in ſalutem aegrorum perfecte reſoluebantur. Seminia vero peſtis ipſisſimae, iam tum in noſocomio adfuiſſe, haecque ſymptomata produxiſſe, euentus edocuit. Paullatim namque plures aegrotantium, aliis omnino morbis adducti, febre petechiali corripi, nec ut in initio bubones cum euphoria ſuppurare, ſed plurimi & quidem indies breuiori ſpatio emori; in quibus vero primis morbi diebus propullulauerunt, plerumque reſtituebantur. Tandem, etiam in fauciis, & quidem in vulneribus ipſis, carbunculi cum cita morte, ſeſe manifeſtarunt. Dum haec in noſocomio ſpatio trium quatuorue ſeptimanarum peraguntur, in ciuitate adhuc omnia proſpera, nihilque de peſte auditur. Originem vero inter incolas hac ratione ſumſiſſe, ex fidis relationibus compertus ſum. Miles quidam gregarius, in pugna Gallazenſi leuiter vulneratus, dum poſt praelium, in oppido cum aliis aegrotis moratur, praetexta pellicea turcica potitus, eam inter ſarcinas ſuas complicatam, Jasſiam ſecum aſportauit; dumque uti ſanus ex noſocomio dimittitur, eam Judaeo cuidam vendidit. Infelix hic, nihil mali exinde ſibi metuens, ea ſe induit, & altero iam die peſte correptus, vna cum duobus liberis, qui in eodem lecto dormiebant (nam viduus erat), breui vitam cum morte commutat. Caſus hic inſperatus, attentionem quidem aliqualem, magiſtratus Jasſienſis excitauit; praeſertim, quia rumor de peſte, non ſolum in Gallaz, ſed etiam in noſocomio manifeſtata, iam iam in vulgus quoque permanare incepit; cautelae vero, quod ſummopere dolendum, minime ſufficientes, nec, uti in re tam ſeria debuiſſet, exactisſimae, ad perniciem hanc ſummam, in ipſo principio propulſandam, adhibitae fuerunt; quod tamen, bruma adhuc tunc perſtante, omnino eo facilius fuiſſet. Habitaculum Judaei demortui claudebatur quidem; impediri tamen, ſimplici hac praecautione haud potuit, quin breui a furibus ſpoliaretur, & ex ſuppellectile infecto diſtracto, tum quoque ex ipſo noſocomio, cuius cum reliqua vrbe communio interdicta non fuit, infectio

pedetentim, inter incolas & milites cum illis cohabitantes, diſſeminaretur.

Jam verſus finem menſis Martii, in hybernaculum illuſtrisſimi Polemarchi Comitis de Romanzov, oppidum Podoliae Latitſchew, CCCL. circiter leucas ruſſicas a Jasſia diſtans, a nonnullis inde redeuntibus, notitia morbi huius inſoliti adfertur; narrationes vero confuſae & diſcrepantes omnino erant, adeo vt nihil certi hac in re ſtatui poterat. Nam alii ſymptomata vera ignorantes, non niſi de repentinis mortibus, & quaſi ſubito in plateis mortui concidſerint plurimi aliàs ſani, verba fecerunt; dum alii e contra, mitius, quam in negotio huiusmodi graui conueniebat, iudicium ferentes, morbum hunc, pro febre quadam maligna vendirabant. Ex horum poſteriorum partibus ſtabat, infauſtisſimo certe omine, ipſe Generalis locum tenens, ſtationem Jasſiae habens, & copiis in Moldauia & Wallachia ſubſiſtentibus, praefectus, ſtrenuisſimus aliàs & omni encomio maior, de Stoffeln; qui perſuaſionibus Procerum Moldauiae, euacuationem militiae noſtrae, & hinc inſecuturam inuaſionem Turcarum, maxime pertimeſcentium, magis quam Chirurgorum caſtrenſium, in malo antea nondum viſo, pro ſententia non firmiter admodum ſtantium, admonitionibus, aures praebens, illuſtrisſimo Polemarcho, repetitis relationibus fidem fecit, rumorem de peſte omnino falſum eſſe, mortesque crebras militum & incolarum, a variis aliis cauſſis, praeſertim febre maligna epidemica prouenire. Sic malum hoc truculentum, cuius propagationi, remorae debitae haud opponebantur, de die in diem ita invaluit, vt menſe iam Martio fere generale factum fuerit; praeciſe, uti incendium ex paruis ſcintillis, in initio facili negotio exſtinguendis, in flammam vix compeſcendam erumpere ſolet. Non reputo, mearum eſſe partium, rationes indolentiae huius, reſpectu Procerum Moldauiae, minutim perſequi; hoc vero certo affirmare poſſum, eas utcunque politicas, magis vero

vero priuatum commodum reſpicientes, uti hic, ſic etiam poſtea in aliis locis, furorem peſtis, ad ſummum fere faſtigium produxiſſe.

Tandem, nuncius e Jäsſia a Generali de Stoffeln ablegatus, ad illuſtrisſimum Polemarchum, ultimo Aprilis die aduentans, aſſertionem iam poſitiuam verae peſtis, vna cum teſtimonio a Medico caſtrenſi, & quinque Chirurgis ſubſignato, attulit. Exercitus, qui hucusque in Polonia hybernauerat, nunc verſus Moldauiam mouebatur, quorſum etiam copias Turcarum & Tartarorum turmatim tendere conſtabat. Fieri itaque aliter haud potuit, quin nouellae haec ingratae, de nouo hoc, nec minus terribili hoſte, cum quo, uti videbatur, non tam confligendum ac ſuccumbendum erat, nunc, ſi unquam, intempeſtiue venirent. Nam ſi exercitus hoſti iam ex Beſſa abia, confiniis Moldaviae appropinquanti, breui obuiam non duceretur, veroſimile omnino erat, incolas prouinciae huius, qui non ita pridem, ſceptro Rusſico, tam lubenter ſacramentum dixerunt, vna cum copiarum noſtrarum manu ibi morante, & a peſte iam male mulctata, in maximo verſari diſcrimine. E contra praeuiſu difficile erat, quomodo contagium hoc, aeque ſubtile ac pernicioſum, in regionibus hiſce infectis, ab exercitu auerti posſit, vbi omne cum incolis commercium praecludere, arduum certe, immo imposſibile videbatur. Interea, dum periculum a hoſte, euidentius omnino, quam a peſte imminebat, progreſſus exercitus, haud interrupte, quantum ob tempeſtatem valde pluuioſam licuit continuabatur. Vt vero Illuſtrisſimo Polemarcho, quid rumori peſtis, antea in dubium vocatae, nunc affirmatae, veri falſiue ſubſit, certius innoteſceret, tum quoque, vt media, tam praeſeruatiua quam curatiua, forte eo efficacius ſubminiſtrarentur; placuit me, quamuis perſonae Eius unice addictum Medicum, ad hanc tamen expeditionem ultro offerentem, verſus Moldauiam in anteceſſum ablegare. Deo mandatum mihi ab Eo fuit, vt ſine mora in itinere, Jasſiam, tanquam l cum principalem, & potisſime infectum, contenderem; examinato tamen

 undi-

undique, urbium & pagorum in via occurrentium ſtatu, de quo, uti etiam de ſymptomatis morbi praecipuis, et, ſi quae innoteſcerent, medelis, relationes ad Ipſum frequentes mittendae &c. Amandatio haec mea, in oppidulo Podoliae, Michelpol, die V. menſis Maii fiebat. Die VII. in caſtellum Chozim aduenio. In ſtatum ſanitatis loci huius, vbi exercitui breui tranſeundum, & inſuper noſocomium generale adornandum erat, ſollicite inquiſivi, & tum a Praefecto vrbis Chiliarcha Weiſsmann, tum etiam a Chirurgis praeſidiariis, ſequentia comperui. Nulla hucusque peſtis, nedum morbi cuiusdam epidemici indicia animaduerſa, praeterquam, quod hiſce diebus, in duobus militibus febre acuta laborantibus, poſt XIV. diem, bubones ſub inguinibus oborti; qui vero poſt adhibita remedia maturantia, cum manifeſto leuamine in ſuppurationem abierunt, & aegroti iam extra periculum verſantur. Fuerunt quoque alii XIII. febre petechiali laborantes, ſed praeter duos defunctos, reliqui ſe melius habent, nihilque ſingulare obſeruatum. Pridie vero in IV. militibus, cum captiuis Tartaris ex urbe Batuſchany venientibus, plurima ſe manifeſtarunt ſigna, quæ ſuſpicionem peſtis ſuggerere videbantur; praeſertim, dum ſat notum eſſet, vrbem nominatam, proximis præterlapſis duobus menſibus, funeribus creberrimis inclaruiſſe. Coſacus nempe vnus, in itinere correptus, illico poſt aduentum e vivis excesſit, in cuius cadauere caute denudato, bubo in inguine dextro, & macula magna nigra in abdomine a Chirurgis viſa. Quia iam humatus erat, ad reliquos tres milites pedeſtres, in tugurio quodam ſuburbano aegrotantes, abii. In omnibus bubones ſoli aderant & quidem copioſi; inguinales nempe, ſubaxillares & ceruicales in vno tres, in reliquis duo inſimul. Symptomata vero, quod valde miratus fui, minime atrocia, immo in duobus, quibus iam maturuerunt bubones ita leuia, vt ſanorum inſtar, de lecto ſurgere, & ad omnia recte reſpondere valuerint. Febris in hiſce iam nulla, & quamuis morbi dies in vno quartus, in altero quintus fuerit, nequaquam male affecti apparuerunt. Tertius febrici-

bricitabat quidem, aſt non admodum periculoſe. Lenitas haec ſymptomatum, quae certe multo vehementiora in peſte adopinabar, ut verum fatear, mihi ita impoſuit, quod in relatione, quam eodem die ad illuſtrisſimum Po emarchum transmiſi, exiſtentiam verae peſtis in Chozim, apodictice adſtruere dubitauerim, donec in poſterum & quidem breui, meliora edoctus eſſem. . Interea ſuſpicionem ſummam movere, & de necesſitate praecautionum exquiſitisſimarum, ratione officii, monere, nentiquam praetermiſi; quas etiam hic loci, Praefecto & inprimis Chirurgis ſedulo inculcaui, & ad iter ulterius perficiendum me compoſui. In pagis, vel potius domunculis ſolitariis Moldauenſium, & ſtationibus paruis militum noſtrorum, quae in campis hin inde locatae erant, in tota via, usque ad vrbem Batuſchany, C. circiter leucas rusſicas ab Chozim diſtante, omnia ſana, nullaque veſtigia peſtis obſeruabantur. Huc vero, ſummo mane diei IX. Maii aduectus, non ſine horrore, documenta euidentisſima peſtis, truculentorumque eius effectuum, illico oculis conſpicienda ſeſe praebuerunt, vt, nullus prorſus dubitationi locus relinqueretur. Domos omnes video deſertas; plerasque apertis portis ac feneſtris, ſuppellectile vario & euerris plus minusue refertas; canes & feles vndique curſitantes; homines vero nullos. Ipſi veredarii Moldauienſes, qui me huc vsque vectarunt, ſiniſtra quaeuis, ex mora, in loco eiusmodi horrendo ſibi metuentes, equis quam celerrime a rheda abiunctis, aufugerunt, meque, cum ſeruo meo ſolos reliquerunt. Erraui per plateas, homines fruſtra euocans, vsque quo quidam ex militibus noſtratibus opportune obuiam veniret. Hoc duce, ad manſionem Centurionis, huic loco praefecti, extra vrbem ſitam, properaui; qui triſti vultu me de ſumme deplorabili rerum hic ſtatu, certiorem fecit. Narrauit, peſtem, duos ante menſes, ex Jasſia, per peregrinatores aduectam, hucusque immaniter ſaeuiiſſe, adeo vt ex habitantibus, quos inter duo & tria millia aeſtimabat, plusquam octingenti, ſpatio ſex hebdomadum, exſtincti fuerint, et reliquos

terrore

terrore perculſos, in montes vicinos Carpaticos aufugientes, nec ibi ſecuritatem quam ſperabant exacte conſecutos eſſe; ſed permultos ex illis, ſeminia luis huius contagioſisſimae ſecum ferentes, itidem ad plures abiiſſe. Fugam hanc vniuerſalem, praeprimis viſio ſacerdotis cuiusdam, accelerauit, qui, neſcio quem ſanctum, ſibi in ſomnio apparuiſſe, & perniciem certam omnium, niſi vrbem illico defererent, praedixiſſe, palam concionatus erat. Canes, quibus villae Moldauienſes ſcatent, nec certos, vti alibi dominos habent, ſed in plateis libere vagantur ac multiplicantur, defectu alimentorum, cadauera peſtifera, quae, vti in circumſtantiis hiſce calamitoſis fieri ſolet, negligentius, nec ſat profunde humata fuerunt, vel quae inſepulta inueniunt, deuorare, & exinde multos rabidos factos, aſſeuerauit; hinc non minus periculi, quam a peſte ipſa, ſibi, & militibus qui reſtabant, timuit. Ex equitibus (houſſards dictis) ducentis, quibus præerat, iam LXX. peſte defunctos, & XXXII. eadem lue, ſub tentoriis, iuxta ſaltum vicinum, decumbere; de manipulo militum pedeſtrium ex CXX. capitibus conſtante, ultra XL. e vita migraſſe, & XVII. aegrotare; coſacos denique numero XX. non procul ab vrbe ſtationem habentes, tres ex ſuis deſiderare, & vnum infectum ad reliquos peſtiferos adductum eſſe, mihi retulit. Quia Subchirurgus, & duo barbitonſores, qui peſtiferis opem ferre ſatagerunt, iam mortui eſſent, hi, ſine omni medicatione, & reliqui, quantumuis adhuc ſani, mortem, vix vt videbatur euitabilem praeſtolabantur. Quamuis omnes, quas bona & intrepida mens, ſuggerere ipſi potuerit, praecautiones adhibuerit, & militibus ſuis, exceptis iis, quibus in granariis militaribus, hic conſtructis, neceſſario excubiae agendae erant, ex urbe in campum eduxerit, omnemque cum illa communionem, ſub maxima poena interdixerit; impedire tamen non potuit, quin infectio quotidie augmentum caperet, immo, dum apud eum verſor, militem quendam, eum adeuntem, pro infecto declarauit, quamuis ille ſe ſanum ſimularet; quod ex rubore oculorum, cum feroci quaſi aſpectu, tanquam ſigno

ſigno infallibili concluſit, hocque, experientiam frequentem ſe edocuiſſe affirmauit. Diagnoſin quoque eius haud falſam fuiſſe, ſtatim apparuit; nam ſerio interrogatus deplorandus aeger, caput ſibi dolere, & reliqua ſigna haud aequiuoca, ingenue profitebatur; hinc ſine mora, in conſortium reliquorum peſtiferorum amandabatur. Quia ex autopſia, relatione Centurionis, & omnibus reliquis circumſtantiis, nec minimum amplius dubium, de praeſentia ipſiſſimae peſtis reſtare potuit, ſummo ſtudio adnitebar, vt tum miſeris aegrotis, quam ſanis, opera & conſilio, quantum in tanta anguſtia temporis, qua premebar, fieri potuit, proſpicerem. Ex theca itaque mea medicamentaria, remedia quaedam, vna cum breui conſcripta ſchedula, curationem aeque ac praeſeruationem ſpectante, Centurioni tradidi; plura ei pollicitus, ſimulac Jasſiam attingerem. Poſtea, non ſine oblectatione animi, ab eo ipſo comperui, praeſcriptiones meas, & ſibi & militibus ſuis, emolumento fuiſſe. Cum, longior in loco hoc triſti mora, mihi haud permiſſa eſſet, iter demandatum, eodem die continuaui. Nulla in villis intermediis, ab incolis undique fere deſertis, nec in ſtationibus campeſtribus paruis, quae hinc inde occurrebant, militum noſtratium, indicia peſtis ſeſe obtulerunt; in proxima vero, quae ante ciuitatem locata erat, illis ipſis diebus, tres milites, & vnus Coſacus, lue hac occubuerunt. Narrarunt mihi reliqui, poſtremum hunc, non procul abinde, inhumatum in herba latere, quia ipſi negotium ſepulturae, tanquam periculoſisſimum abhorrerent, & veſpillonem moldauienſem exſpectarent.

Die X. eiusdem Maii menſis, metropolin Moldauiae, Jasſiam, vtpote metam meam principalem, attingo. Facies eius, non quidem in totum deſolata, vti vrbis Batuſchany, aſt ſat lugubris, effectus luis perniciosisſimae, per indicia, vndique oculos ferientia, luculenter prodidit. Nam aeque ac ibi, aedes plurimae, portis & feneſtris patentibus aut diffractis, euerrisque variis faſtidioſe ſcatentes, dominos ſuos, eas, non

proprio nutu deſeruiſſe, vt & reliqua omnia, confuſionem magnam, clare indigitarunt.

Nihil moratus, Generali locum tenenti de Stoffeln, praeſto fui; mandatum ſcriptum, quod mihi ab illuſtriſſimo Polemarcho, traditum erat, communicaui; & prout furorem peſtis, non tantum perſeuerare, ſed indies creſcere, ab illo percepi; de mediis efficacisſimis, quibus malum hoc truculentum, ſi non prorſus eliminandum, ſaltem a reliquis viuentibus, praeprimis militibus noſtratibus, quoad fieri poterit, arcendum eſſet, ſerio deliberauimus.

Quia notitia tum anteactorum, tum ſtatus praeſentis rerum, ad ſcopum meum pertinentium, a Medicis & Chirurgis potisſimum petenda erat: eos, tam caſtrenſes noſtros, quam vrbanos conuocatos, de variis percontabar, quorum ſumma in ſequentibus fere conſtabat.

Quaeſtio. An, morbus hic periculoſisſimus, quem pro vera peſte iam agnouerunt, certis quibusdam ſignis pathognomonicis, ab omnibus reliquis tam exacte diſtinctus ſit, vt nulla, in diagnoſi, fallacia ſubrepere posſit?

Reſponſio. Eum, in primo initio, laruam febris petechialis induiſſe quidem; at, quae confeſtim inſecuta fuerunt phaenomena: contagium ſcilicet, vndique ſerpens; mortes citae; ſymptomata ab omnibus authoribus, tanquam peſtilentialia deſcripta, praeſertim bubones, carbunculi & maculae latae; tum nota quoque a Turcis proueniens infectio, peſtem veram iam dudum euicerunt, & omne de contrario dubium remouerunt.

Quaeſtio. Quaenam ergo cauſſa procraſtinationis ſententiae apodicticae, & cur de re tam graui non prius denunciarint, quam ante duas circiter ſeptimanas; dum morbus iam per tres menſes, eadem, uti ipſi fatebantur, facie comparuerit?

Reſponſio. Culpam in eos minime cadere: ſe teſtimonia fere quotidiana coram, immo relationes ſcriptas, laudato Generali obtuliſſe; & quam-

quamuis de periculo ſummo quotidie monere non intermiſerint, ſemper vero repulſam cum indignatione tuliſſe, nec illum antea opinionem conceptam mutaſſe, donec nonnulli ex domeſticis eius, & militibus excubias agentibus, peſtis ſignis euidentisſimis deturpati, ante oculos quaſi exſpirarent.

Quaeſtio. Quaenam cautelae praeſeruatiuae, ad ulteriorem luis progreſſum inhibendum in vſum vocatae?

Reſponſio. Fere nullae, vel ſaltem leuioris momenti, hinc finem optatum minime attingentes. Milites praeſidiarii cum ciuibus cohabitant, & promiſcue inficiuntur; nec ſeparatio peſtiferorum procurata; ſed cum reliquis aegrotis in noſocomio generali & valetudinariis legionum, detinentur, ab ipſis vero, quantum fieri poteſt, a communione reliquorum excluduntur. Dum domus quaedam opulentior in totum emoritur, tunc clauditur quidem, immo excubiae, ad praecauendas ſpoliationes, diſponuntur, quae tamen hucusque nequaquam praepediri potuerunt. Magiſtratus Moldauienſis, conſuetis in hoc malo cautelis vtitur. Mortui namque, a certis hunc in finem conſtitutis veſpillonibus, vti etiam qui innoteſcunt infecti, illi in coemeterium peculiare extra vrbem, hi in ſyluam propinquam euehuntur; maximam tamen quoad partem in habitationibus celantur. Reliqua eorum praeſeruatio, cui maxime fident, in eo vnice poſita eſt, vt vndique in plateis, & atriis, aceruos fimi, osſium, & variarum quisquiliarum, lento igne comburant, fumoque hoc foetidisſimo, aërem die noctuque impleant. Aegrotos nemo curat *), nec

*) Valde miratus ſum, Medicos praeſentes graecos, qui ambo aetate ſat provecti erant, & in ipſa Conſtantinopoli, plus minusue, antehac praxin medicam exereuerunt, nec minimum lucis, in materia peſtis, mihi ſuppeditare potuiſſe. Vnus terram ſigillatam, vterque theriacam venetam, vtut vnica remedia, quae ipſis nota eſſent, laudauit; ſeque, nunquam peſte infectos, nec Conſtantinopoli, nec hic viſitaſſe, ingenue confitebantur; quia ſi hoc facere vellent, tunc nemo amplius eorum ope vteretur,

nec vllum remedii genus ab illis vſitatum, innotuit, ſi theriacam venetam exceperis, qua opulentiores fere omnes inſtructi ſunt, & ad quam tanquam ſacram anchoram confugere ſolent.

Quaeſtio. An in curatione peſtis aliquid ſingulare experti fuerint, & nonne ex diuerſis in vſum vocatis mediis, quaedam prae aliis conducere, alia vero nocere obſeruauerint?

Reſponſio. Varias hucusque tentarunt medendi methodos, quas vel lectio authorum, vel propria mens ſuadere potuerit; nihilominus ſe in curatione parum profeciſſe conquerebantur. Venaeſectionem non tantum vti inutilem, ſed ſummepericuloſam, multa experientia edocti, (praeſertim dum in initio peſtis, quemuis fere infectum, tanquam febre continua affectum tractarent) vno ore damnabant. Nec mitius fere, de laxantibus, inprimis fortioribus, iudicium tulerunt. Cortex peruvianus nihil ſingulare praeſtitit. Qui tempeſtiue, hoc eſt, in initio morbi ſudarunt, aut breui conualuerunt, aut ſymptomatis minus vrgentibus poſtea vexabantur etc. Quae de exortu, & prima in Jasſia propagatione peſtis, iam in medium prolata ſunt, ex conſentanea relatione, tunc in eorum praeſentia, in aduerſaria retuli, vti quoque alias obſeruationes, a me ipſo poſtea vt plurimum confirmatas. Vehementia luis ſucceſſiue aucta fuit; nam menſe Februarii mitior adhuc quam in Martio, per totum Aprilis latiſſime vagata eſt; quin etiam nunc indies exaſperari videtur. Tempeſtas tepida, & praeter morem pluuioſa, auſtro fere ſine interruptione flante, cum denſo & nebuloſo aëre, praeprimis de nocte, toto hoc tempore calamitoſo continuauit. Numerum exſtinctorum accuratum, quamuis haud posſibile ſit inire, interea fere dimidium

omnium

tur, & tanquam ſuſpecti ipſi a reliquis deteſtarentur. Poſt aliquod temporis interuallum contigit mihi, vni ex hiſce obuiam venire, qui me interrogauit, quorſum tenderem? Nonne in Monaſterium Sancti Spiridonis? (vbi noſocomium peſtilentiale fuit) quod cum affirmarem, illico reſpondidit: bone Deus! quid ibi vis? certe, ſi Auguſtisſima mihi dimidium Moldauiae pro praemio offerret, nunquam intrarem.

omnium tam incolarum, quam militum, excedere putabant. Barbitonſores & adminiſtri aegrotorum, maximam quoad partem, immo etiam quamplurimi ex ſubſtitutis eorum deſiderabantur. Chirurgi ipſi & Praefecti militum, hucusque ſani reſtarunt, attamen proxime praeterlapſis diebus, etiam ex hiſce plurimos correptos indigitarunt, ex quibus Chirurgum Michailowsky, periculoſe aegrotantem eadem veſpera viſitaui.

Finito hoc, cum Medicis & Chirurgis, colloqio, Generalis locum tenentem, iterum conueni; magnitudinem mali, & periculi omnibus reliquis imminentis neruoſe repraeſentaui; conſilia ſequentia ſuppeditaui, eorumque promptiſſimam executionem vrſi.

1) Vt aegroti peſtiferi, a reliquis quantocyus ſegregentur, & noſocomium peculiare, pro illis excipiendis, adaptetur.

2) Vt valetudinarium conſtituatur, vbi aegroti dubii, (i. e. in quibus ſymptomata pathognomonica nondum manifeſtata) detineantur; poſtea in noſocomium peſtilentiale amandandi, ſi ſigna indubia erumperent.

3) Vt militia omnis, vtpote cuius ſalutis plurimum intererat, confeſtim ex habitaculis ciuium, (quorum maxima pars, ex infectione aut praegreſſa, aut praeſente, inquinata) in campos apertos educatur, omneque, quantum fieri poterit, cum loco hoc ſumme infecto, & habitantibus, commercium, interdicatur.

4) Vt magiſtratui vrbano, praecautiones meliores, quam, quae hucusque in vſum venerunt, iniungerentur, vtpote: viſitationes, haud interrupte, quouis die, in vnaquaque domo, inſtituendae; infectorum & mortuorum cita a reliquis remotio; exacta notitia quotidiana de numero mortuorum & infectorum; fumigationis illius ineptae, de qua antea dixi, prohibitio; munditiei in aedibus & plateis ſtudioſa obſeruatio; congregationum magnarum in foris & eccleſiis vitatio; mercedum inprimis eſculentorum, cauta venditio & emtio, verbo: vt politia,

quoad omnia, quae ad finem optatum attingendum, conducerent, ordinatior, quam hucvsque, adminiſtretur.

5) Ne veſtimenta & ſupellectilia, poſt peſte defunctos, vti hactenus factum, ſeponantur, aliis in vſum tradantur, vel diuendantur, ſed ſine exceptione, vel vna cum cadaueribus inhumentur, vel comburantur.

6) Vt copia variarum, ad peſtis curationem & praeſeruationem neceſſariarum rerum, praeprimis aceti vini, cuius in hac regione vini ferace, nulla exiſtere ſolet penuria; nunc vero omni turbato negotio, non niſi parce & care vaenit, quantum poſſibile, vberrima fieret, militibusque gratis elargiretur; eſculenta vero, non niſi recentia in vſum trahantur.

Conſenſit in omnia, Vir Illuſtris, excepta euacuatione militum ex vrbe, quae tamen res erat primaria & capitalis; aſſeuerans ſe hoc, ſine expreſſo a Polemarcho mandato, nunquam auſurum; rationemque praetendens ſat ſpecioſam: quod nempe Proceres Moldauiae *), Diuan ſeu Senatum ſupremum conſtituentes, ei ſignificauerint, ſe quoque, quamprimum praeſidium tolleret, illico vrbem derelicturos; hoc vero ob maximum detrimentum redituum, inde redundans, & varias alias circumſtantias, neutiquam permitti poſſe; quia ſine illis tota prouincia ſine regimine, quod apud illos relictum erat, & conſequenter ſine vllo pro noſtratibus vſu reſtaret. Audacis huius declarationis Procerum, appropinquatio hoſtis, & abſentia exercitus magni, (qui ob immenſas continuas pluuias, & vias inde vitiatas, non niſi lento gradu procedebat, & adhuc tunc, circa caſtellum Chozim, CC. circiter abhinc

*) Dum quodam mane, apud Generalis locum tenentem, euacuationi noſtratium ex ciuitate ſerio inſtarem, Aga, ſiue Politiae magiſter, tunc forte praeſens, vix erubuit affirmare, peſtem ſubito extinctam eſſe, & quod per totum nycthemerum, tria tantum funera in ciuitate, numerata fuerint. Dum ei regererem, quatenus ipſe nunc mox, duo magna plauſtra, cadaueribus plena occurſauerim, fronte perfricta, veritatem facti abnegare ſuſtinuit.

abhinc leucas ruſticas, morabatur) cauſſa fuit; dum e contra magna Turcarum & Tartarorum turba, e Beſſarabia verſus Jaſſiam mouebatur, iamque in regione, *raebaia mogila* dicta, LX. tantum leucas a nobis diſtante, tranſitum per fluuium Pruth tentabat, & a parua manu militum noſtrorum, cum qua quotidie conflictabatur, non niſi aegre a propoſito arcebatur. Nec metus eorum iniuſtus fuit; nam ſi hoſtis tranſiiſſet, & in nos irruiſſet, fere ſine miraculo, nemini noſtrum euadendum videbatur. Ex reliquiis namque V. legionum praeſidiariarum, vix duo millia ſub arma cogi potuerunt; munimenta quoque ciuitatis fere nulla; hinc interitum, tam a peſte, quam ab hoſte, una cum incolis, quibus veroſimiliter eadem ſors manſiſſet, praeſtolabamur; niſi Deus nobis propitius fuiſſet, & fortitudo manipulorum noſtrorum, a ſtrenuo Praefecto, tunc, Maiori (vt vocant) Soritſch, ductorum, tentamina huius eluſiſſent. Auxit adhuc periculum, quod Generalis locum tenens Princeps Repnin & Generalis Maior Samaetin, ille ex Fockſchiany, hic ex Buchareſta, cum cohortibus ſuis, hoſti obuiam euntes, ob easdem, quae exercitum magnum premebant difficultates, inprimis ob enormem exæſtuationem fluuii Sereth, multo tardius, quam illis praeſcriptum erat, in itinere emetiendo, pergebant. Ego, politica & militaria non valde curans, officio ſolum meo intentus, omnem moui lapidem, vt milites, ſaltem maxima pars eorum, relictis excubias agentibus, in campum apertum educerentur. Hinc, altero iam ab aduentu die, in relatione ad Illuſtriſſimum Polemarchum transmiſſa, euacuationem hanc efflagitaui, quae etiam illico demandata fuit; nihilominus exitus, non antea, quam die XX. Maii conſequebatur. Caſtra, cuique legioni ſingula, in campo verſus Buchareſtam, ad diſtantiam duarum triumue circiter leucarum ab vrbe ponebantur, & poſt paucos dies infectio notabiliter imminui coepit, etſi non penitus exſtingueretur. Ipſe Generalis locum tenens, me quamuis renitente, manſionem ſuam ſub tentoriis elegit, in vinea magna Metropolitae Moldauienſis

uienſis, arboribus vndique conſita, & fruticeto vaſto cincta, in quo pluſcula cadauera peſte exſtinctorum latuerunt *). Hinc non mirum, quod breui haud pauci ex domeſticis eius; militibus; Praefectis ei addictis, eorumque ſeruis inficerentur; immo Ipſe idem fatum expertus, die XXIX. Maii, vitam cum morte commutauit. Dolenda ſane ſors, magni huius belli Ducis!

Ad noſocomium peſtilentiale, donec aliud extra vrbem de nouo conderetur, Monaſterium a ſancto Spiridone cognominatum, occupabatur, tunc vacuum, & ad hoc prae reliquis opportunum, quia conclauia multa, pro excipiendis aegrotis vrbicis olim adaptata, fontanas quoque duas, aqua limpidiſſima ſcatentes habet; praeſertim vero, quod muro alto cinctum eſt, vt exitus non niſi per vnicam portam pateat, omni cum reliqua vrbe communioni impediendae fauere videbatur. Pharmacopoea parva, cuius dominus cum tota familia, paullo antea e viuis exceſſerat, nullis relictis haeredibus, in publicum vſum tracta, hic quoque praeſto erat, in qua medicamenta, exigua quamuis quantitate proſtantia, a Prouiſore, hunc praecipue in finem ab exercitu magno huc miſſo, diſpenſari, & alia extemporanea commode praeparari potuerunt. Conquiſitis, quantum in tanta feſtinatione, & multarum rerum penuria fieri potuit, quae ad vſum aegrotorum ſpectabant, adminiſtri peſtiferorum XXX. ex militibus ſanis conſtituebantur, hisque officialis & duo ſubofficiales praeficebantur, quibus etiam cura victus, comparatio rerum neceſſariarum, & executio omnium mandatorum iniuncta

*) Moldauienſes, praeſertim tenuioris fortunae, tempore peſtis, infectos ſuos, etiam proxima cognatione conjunctos, ne pro ſuſpectis habeantur, in nemora propinqua clam abducunt; ſubſtratis foliis, gramine & panniculis, in loca vmbroſa deponunt; vas aqua plenum & alimenta quaedam iuxta eos collocant; ſicque miſeros, fato ſuo derelinquunt. Cognati, ſi qui ſunt, vel illorum miſerentur, ſubinde illos viſitare, & quae deficiunt, in primis aquam ſupplere ſolent. Qui viribus quodammodo adhuc pollent, ipſi cremia colligunt, & foculum excitant. Dum moriuntur, a veſpillonibus terra obruuntur; haud raro vero neglecti demum computreſcunt, vel a canibus, feris & vermibus deuorantur.

iuncta fuerunt. E V Chirurgis caſtrenſibus, duo, ſua ſponte mihi ſeſe conſociarunt: Rosberg nempe & Aſchenlow; hisque Subchirurgus vnus & VI. barbitonſores, auxiliari iubebantur. Die XIV. Maii omnia ita parata erant, vt CLXVII. peſtiferi, e diuerſis valetudinariis, huc transferri potuerint; qui tamen numerus breui vltra ducenarium excreuit, hocque in puncto fere ſubſtitit, quia contagium, educta poſtmodum ex vrbe militia, inſigniter minuebatur. Succeſſus medicationis (quae, quod ſine iactantia dictum velim, omni qua potuimus diligentia, intrepidanter nec inuite *) inſtituebatur) is fuit, vt funera indies pauciora fierent, & ſanatio peſtiferorum ſat proſpere conſequeretur, dum hucusque non niſi pauciſſimi e naufragio vitae euaſerint. Ex CCCCXIII. ſpatio ſex circiter ſeptimanarum, noſocomium, quo ei interfui, ingreſſis, CCXVI. vitam cum morte commutarunt, caeteros vero dum XXII. Junii die, lue ſaltem inter noſtrates iam fere ceſſante, ab illuſtriſſimo Polemarcho ad exercitum reuocatus **), noſocomio peſtilentiali valedixerim, fere omnes, aut perfecte reſtitutos, aut ſaltem ex

*) Quia mox a primo aduentu viderem, quod Chirurgi, peſtiferos, ſine vlla praecautione, tanquam alios aegrotos ordinarios inuiſerent, pulſum, & reliquum corpus, in deligationibus, applicatione remediorum externorum & ſic porro, nudis manibus attrectarent, & trium menſium conſuetudinem ſibi innoxiam praetenderent: hoc ipſo ſecurus factus, & timorem prodere nolens, exemplum eorum toto tempore ſecutus ſum, quamuis poſtmodum nec mihi, nec Chirurgis, audacia haec plane impunita cesſit.

**) Litteras nempe, ab illuſtrisſimo Polemarcho, accepi gratiosſisſimas, quibus reditum meum, iuxta Perſonam ſuam, quia furorem peſtis fere deſiſſe relatum haberet, acceptum ſibi futurum ſignificauit; locum vero, terminum & modum purificationis (quarantaine) inſtituendae, proprio meo arbitrio permittens. Iter itaque verſus exercitum magnum direxi, nullumque locum ſecurum inueniens, extremum agmen attigi, cuius, cum turmis praecurſoriis hoſtium ſaepisſime velitantis, & inceſſanter fere, in varios tractus ſeſe commouentis, ſub tutamento, integros XII. dies valde irrequiete transegi, donec ſub dio ſat euentilatus, reliquisque cautelis haud neglectis, tertia poſt praelium Largenſe die, caſtra magna intrarem.

ex vlceribus conualeſcentes, dereliqui. Hoc vero notandum, pleroſque, non niſi grauiter decumbentes, morbo iam adulto, & conclamatos adductos fuiſſe; hinc numerum mortuorum, medietatem ſuperare, ecquis demiretur? Permulti vero ex Praefectis militum, famulis eorum, Chirurgis, barbitonſoribus, adminiſtris aegrotantium, aliisque, quos in ipſo principio morbi, methodo poſtea deſcribenda tractare licuit, etiam extra noſocomium, optimo cum ſucceſſu curabantur. Maximum autem plurium perſanationi impedimentum, repugnantia illa pertinaciſſima, qua omnes fere milites noſocomium peſtilentiale auerſabantur, praeprimis in initio, attulit; ſummo namque ſtudio, ſtatum ſuum periculoſiſſimum, donec ob vires prorſus fractas, vel alia indicia ſuſpecti fierent, quousque potuerunt celabant infecti; immo ſubinde in ſyluas proximas ſeſe abſconditerunt, vbi poſtea mortui, vel a canibus vndique gregatim vagantibus dilacerati inueniebantur. Adducebantur quoque haud pauci e ſtationibus, a Jaſſia plus minusue remotis, qui, vel illico poſt aduentum, vel paullo poſt exſpirarunt. Primis Junii menſis diebus, noſocomium peſtilens, ex mandato Generalis Maioris de Czernevitz, qui poſt obitum Generalis locum tenentis de Stoffeln, imperium hic loci accepit, neſcio quo fine, verſus ripam fluuii Pruth, XVIII. leucas ruſticas a Jaſſia diſtantem; hinc vero tribus tantum diebus ſub tentoriis transactis, iterum per ciuitatem, in montes verſus Buchareſtam, IV. circiter leucas ab vrbe ſitos, rhedis polonicis, quae commeatum aduectarunt, transportabatur; vbi vmbracula ampla & perflabilia ex arboribus, tam pro aegrotis, quam conualeſcentibus, a ſe inuicem tamen ſat remota, conſtruebantur. Itineratio haec intempeſtiua, ob varias cauſſas, praeprimis calorem coeli exceſſiuum, & quia in breui quantumuis hoc itinere, nulla medicatio regularis inſtitui potuit, magno peſtiferis detrimento fuit, mortemque Chirurgi intrepidi Rosberg, in traiectu hoc turbulento correpti, accelerauit. Quamprimum noſocomium campeſtre noſtrum, in quo a conſortio

reli-

reliquorum mortalium penitus ſecluſi degimus; in ordinem redactum eſſet, omnia iam melius procedebant, & conualeſcentia peſtiferorum, ob varia hucusque obſtacula praepedita, ex voto fere ſucceſſit.

Vehementia peſtis, vtcunque magna fuit, tamen usque verſus medium Maii menſis, non niſi in infimae ſortis homines, tam Moldauienſes, quam noſtrates ſaeuiit. Exinde vero, quamplurimi ex Praefectis militum, Chirurgis, Sacerdotibus caſtrenſibus, nobilibus & mercatoribus, indies inficiebantur, luesque ſummum quaſi faſtigium ſuum attigit. Tempeſtas, toto hoc menſe valde inconſtans, pluuioſa & calida fuit, quæ intemperies coeli, quantum propagationi mali huius faueat, & malignitatem miaſmatis quaſi exaltet, hoc ipſo manifeſte apparuit, quod, ſi per vnum vel alterum diem, aquilo cum coelo ſereno, continuo flaret, illis & proxime ſequentibus diebus, infectio multo mitior contingeret, pluuiis redeuntibus iterum exaſperata. Dumque circa medium Junii menſis, conſtantior & ſiccior fieret, peſtis indies remiſſior facta, verſus finem eius exſtincta fere videbatur; quametſi etiam poſtea, ſporadice hinc inde prorumperet, morbique alius cuiusdam vulgaris, ob infectionem iam rariorem vix tam pertimeſcendi, faciem præ ſe ferret. Ex relationibus Chirurgorum caſtrenſium, in cohortibus ex Fockſchiany & Buchareſta reuertentibus, ſtipendia merentium, itidem innotuit, peſtem uti ſerius ad illos translatam, ita multo quoque mitius, quam Jaſſiæ graſſatam fuiſſe, & quamprimum in initio Maii menſis, iter demandatum auſpicarentur, ſaltem inter noſtrates prorſus euanuiſſe. Gliſcebat ſane contagium ſenſim, in plura quoque oppida & pagos, tam Moldauiae quam Wallachiae; nullibi vero notabilem, vel Jaſſienſi quodammodo comparabilem cladem attuliſſe conſtitit; quin fere vbique breui exſtingueretur, dum incolae pro more ſuo, illico, fuga in montes, campos vel praediola ſolitaria ſibi conſulerent, excubiisque & exploſionibus crebris tormentorum minorum, quae vndique

praeſertim de nocte audiebantur, omnes aduenas a manſionibus ſuis ſedulo arcerent.

Interea, dum nos Jaſſiae, inter ſpem & metum verſamur, vitae nullo fere momento ſecuri, non minimum certe nobis ſolatium attulit, quod ſubinde per nuncios certiores redderemur, exercitum magnum, a dira hac lue, ſaluum incolumemque perſtare. Proſperitas haec, proxime & ſecundum Deum, praecautionibus ſapientibus magni noſtri Polemarchi adſcribi debet. Proceſſum namque, hoſtem verſus, non ad ripam dextram fluuii Pruth, vbi villae & pagi ſunt, commerciumque cum habitantibus vix praepediendum foret, ſed ad ſiniſtram Beſſarabiae conterminam & deſertam fere, direxit. Caeterae quoque praecautiones, in hiſce circumſtantiis vſitatae, ſummo vti fas erat rigore, exequebantur; ita vt nemini e locis ſuſpectis introitus in caſtra concederetur, niſi per ſufficiens tempus, quadrageſimam (quarantaine) iuxta ſtationes remotiſſimas campeſtres, ſuſtinuiſſet; inſpectiones quoque accuratae, euentilationes & luſtrationes per aſperſionem aceti, quoad omnia ſupellectilia, a certis hunc in finem conſtitutis chirurgis & adminiſtris, inſtituebantur. Cohortibus, ex Jaſſia, Fockſchiany & Bucharcſta ad exercitum magnum accedentibus, quamuis peſtis, in initio demum itineris, in omnibus iam ceſſauerit, maioris tamen incolumitatis gratia, ſtatiuae a reliquis caſtris diuerſae, & haud exiguo ſpatio diſtantes, aſſignabantur; nec (exceptis tantum ſummis Praefectis) cum reliquo exercitu communio permittebatur, donec, per plures ſeptimanas, immunitas a contagio ſufficienter probaretur. Notabile admodum fuit, nullum per totam aeſtatem, exemplum peſtis ipſiſſimae, in exercitu ſeſe manifeſtaſſe, quamuis poſt magnas illas ad Largam & Kahul victorias, caſtris immenſis hoſtium totis quantis, vna cum maxima congerie ſarcinarum, in praedam potitis, ſpolia in ſingulorum facile militum noſtrorum manibus, verſarentur. Captiui quoque pro certo affirmarunt, peſtem, dum Danubium tranſirent, in caſtris Turcarum prouenniſſe,

&

& non niſi, paucis ante pugnam Kahulenſem diebus, ſiluiſſe *). Sub finem demum menſis Septembris, dum iam verſus Jaſſiam, hybernandi cauſſa progredimur, & ad ripam fluuii Pruth per pluſculos dies moramur, peſtis in exercitu ipſo, tempeſtate iam pluuioſa facta, erupit; nam manipulus militum, quibus a bombardis nomen, cum cohorte, quae caſtellum Ackerman feliciter oppugnauit, reuertens, vna cum ſpoliis etiam luem ſecum aſportauit, vnde tum in illo, tum etiam in legione equeſtri Niſchegorodenſi, haud pauci, & inter illas officialis vnus, extinguerentur; nec quouſque in loco manſimus, contagium deſiit, quamvis praecautiones optimae adhibitae fuerunt. Quamprimum vero caſtra mouerentur, nihil de malo hoc amplius audiebatur. Pergimus quamuis lente in itinere, & die XVIII. Nouembris, Jaſſiam, vbi illuſtriſſimus Polemarchus, cum ſuo comitatu, & IV. legionibus hybernare conſtituit, introimus. Nihil de peſte audiri, & noſtrates & moldauienſes aſſeverabant; hinc omnia tuta & proſpera credebamus. Nihilominus, poſt paucas praeterlapſas ſeptimanas, peſtis, tam inter praeſidiarios noſtrates, quam incolas, inopinatò exorta, metum haud paruum incuſſit; at, benedicente Deo, in primis iam noui anni diebus plane euanuit, nec poſtea reuerſa eſt. Prae reliquis praeſidiariis, manipulus (compagnie) vnus, legionis pedeſtris Korinsky ita infelix fuit, ut XXIV. ex ſelectiſſimis ſuis militibus perdiderit. Dum in fine menſis Februarii, venia impetrata, Petropolin repeterem, omnia in tota Moldauia & Wallachia ſana dicebantur, quamuis poſtmodum hinc inde ſeſe iterum exſerere, haud deſierit. Immo, dum aeſtate anni MDCCLXXII. cum Principe Orlow, ad congreſſum pacis Fockſchanenſem, Legato plenipotentiario,

C 3 tanquam

*) Idem de fortalitio Bendero, auſpiciis, magni belli Ducis, illuſtriſſimi Comitis de Panin, ab exercitu ſecundo, oppugnatione cruenta, capto, innotuit; in quo, tum ante aduentum exercitus, tum etiam in principio obſidionis, perplurimi lue hac occubuerunt; durante vero adhuc illa, diebus canicularibus ipſis, in totum ceſſauit. Attamen poſtea ex manubiis, non ſolum inter milites, ſed etiam incolas paruae rusſiae, & adiacentis Podoliae, progerminauit, nec paruam necem attulit.

tanquam eius & totius comitatus Medicus, Moldauiam iterum reuiſerem, veſtigia eius, quamuis rariora hinc inde offendi. Sic, in duobus pagis, non procul a Fockſchiany diſſitis, peſtem, dum in vicinia moramur, graſſari relatum fuit; & ex comitatu noſtro, cellarius aulicus, in oppido ipſo, ob cellas vinarias degens, cum ſignis eius caracteriſticis obiit; coquus vero primarius reſtituebatur. Non me quidem latet, luem hanc in noſocomiis variis, praeprimis Chozimo Anno MDCCLXX, & Buchareſtae MDCCLXXI. immaniter quantum ſaeuiiſſe, & praeter ingentem numerum militum noſtratium, etiam plurimos Medicos, Chirurgos & Subchirurgos e medio ſuſtuliſſe; ſed, quia notitia horum omnium exacta mihi deeſt, nihilque ſingulare ex autoptis quibusdam expiſcari potui, ulteriori narrationi ſuperſedeo.

Dum peſtis in Moldauia tum altas figerit radices, fieri aliter haud potuit, quin Poloniam quoque conterminam, inuaderet, cum qua nempe, tempore hoc belli calamitoſo, commercium frequentiſſimum, nullo negotio interrumpi potuit. Commeatus namque omnis, rhedis polonicis aduehebatur, quibus peſtiferi ipſi, uti ſupra narraui, bis transportabantur. Quid ergo mirum, ſi veredariorum horum plurimi, iam in via e vita diſcederent; reliqui vero, domicilia propria attingentes, miſeram ſuam ſortem, conſanguineis & compatriotis ſuis communicarent. Praeprimis Judaei, quaeſtui qualicunque in tantum dediti, & qui nihil non ad ſuam vtilitatem referre ſolent, vnde vel tantillum lucri capere poſſint, coëmptis Jaſſiae, Chozimo, & aliis locis infectis, vili admodum pretio, variis, ex domibus opulentioribus peſte exſtinctis, direptis rebus, eas iterum in Polonia reuendiderunt; hinc vbique fere, peſtem, in villis polonicis, apud Judaeos ſeſe primum manifeſtaſſe, notiſſimum erat. Attamen, hyeme proxima vbique deſiiſſe, nec ultra limites Wolhyniae & Podoliae ſe extendiſſe audiebatur, quod inprimis cautionibus bonis, tam a Rege & Republica, quam etiam nobilibus & magiſtratibus vrbium, adhibitis, tribuendum erit.

Tan-

Tandem in initio autumni anni MDCCLXX. terminos Imperii ipſius ſuperauit peſtis. In Kiouiam nempe, ciuitatem hanc limitropham celeberrimam, mercibus ex Podolia vt dicebatur importata fuit. Communi quaſi omnibus vrbibus maioribus fatalitate, etiam hic euenit, ut praeſentia luis mox rideretur & in dubium vocaretur, donec in maximam mortalitatem impune euagans, breui omnes pleniſſime conuictos redderet. Tunc, e contra, terrore quaſi panico perculſi, quibus id datum fuit, opulentiores, immo partim antiſtites ipſi, vrbem deſeruerunt, omniaque confuſionis plena reliquerunt. Exemplum eorum ex prouinciis hic verſantes, ſtudioſi, mercatores, operarii, & reliqui quorum res familiaris hoc permiſit ſequebantur, ſeminiaque contagii, in varia oppida & pagos paruae Ruſſiae ſecum afferebant. Poſtquam per menſes Septembris, Octobris & Nouembris iugiter ſaeuiiſſet, & plura millia ciuium vita privaſſet; tandem, crudelis hic hoſpes, bruma aduentante, menſe Decembris ſponte miteſcens, poſt nouum annum, non ſolum Kiouiae, ſed etiam aliis locis infectis, ſenſim diſparuit. Recrudeſcebat ſane vere incunte Kiouiae, & autumno ſequente Neſchinae, tragoediamque nouam ludere velle videbatur; aſt, obices iam fortiores poſitae erant, dum ab Auguſtiſſima Imperatrice, hanc praecipue ob rationem, vna cum plurimis Chirurgis & Praefectis militum, praetorianis, huc miſſus, Generalis Maior Schipow, cautelis conuenientibus, debito cum rigore vtens, malum ſtatim in exordio ſuffocauit. Nec ex hac ſolum plaga peſtis paruam Ruſſiam intrauit, ſed etiam per exercitum ſecundum, ex Bendero victorioſe reuenientem, in Gubernium ſic dictum nouo-ruſſicum, eodem fere tempore, introducta fuit, & praeſertim in noſocomiis militaribus multos necauit; hyems tamen appropinquans, ulteriori eius diſſeminationi finem impoſuit. Praeter urbes & pagos quampluri-mos paruae Ruſſiae, etiam nonnulla oppida magnae Ruſſiae, hoc ipſo autumno iam adoriebatur, e quibus Braensk & Sewsk, fere in media a Kiowia verſus Moſcuam, via ſita ſunt.

Hiſto-

Hiſtoria peſtis Moſcuenſis.

In tanta, partem Ruſſiae haud paruam, iam affligente calamitate, quae ulteriore ſuo indies progreſſu, toto fere Imperio comminabatur, quiſque facile credet, Auguſtiſſimam Monarcham, pro maxima, qua in ſalutem ſubditorum Suorum fertur affectione, diſpoſitionibus & mandatis ſapientiſſimis, omnem mouiſſe lapidem, vt malum hoc tantopere reformidandum, auerteretur. Stationes ſiue quadrageſimae (quarantaines) quarum ſingulae, praeter ſufficientem numerum militum, praefectum, vtplurimum praetorianum & Chirurgum habebant, in omnibus viis maioribus diſponebantur, & illis rigoroſiſſima obſeruatio, cautelarum praeſcriptarum demandata erat; quo efficaci aliàs, & fere vnico medio, ſubreptio contagii, praecaueri poſſe, iure ſperabatur. Sed ſucceſſus votis non reſpondit! Peſtis namque, intacta in itinere, magna vrbium & villarum ſerie, in meditullium Imperii, Metropolin puta Ruſſiae antiquiſſimam, Moſcuam, furtive plane immigrauit. Vnde vero huc aduecta, & quonam praeciſe tempore primum ſeſe exſeruerit, non admodum euidenter conſtat. Potuit, non per vnam viam, ex diuerſis omnino locis, & diuerſis quoque temporibus inferri; fomesque eius hinc inde, cautelis debitis mature in vſum vocatis, quae tunc prudentioribus fere omnibus innotuerunt, ſi in domo quadam apparuerit, in ipſis incunabulis ſuffocari, vel ſaltem obtundi. Sic menſe jam Octobris MDCCLXX. fama vix incerta, de domo quadam, vulgauit, dominum eius, ex obſidione Benderi reducem, captiuos quoſdam Turcas ſecum aduectos, & cita morte defunctos, clam ſepeliri curaſſe. Rumore ad ſummum ciuitatis regimen delato, aedes eius excubiis cingebantur, & reliquae cautelae ſtrictiſſime exequebantur, donec nullum amplius periculum animaduerteretur. Alii lanas ex Polonia & Vkrainia, in officinas pannorum importatas; alii iterum varios peregrinatores accuſant. Quicquid vero ſit, peſtis illa, quae, in Noſocomio generali

in

in initio menſis Decembris ſe manifeſtauit, hac ratione ortum ſuum duxiſſe plusquam veroſimile eſt. Praefectus quidam militum, ex exercitu aduentans, & in vicinia noſocomii hoſpitans, in morbum incidit, breuique emoritur. Chirurgus noſocomii & Profector Jewſajevsky, qui eum curauit, illico febre maligna cum petechiis correptus, poſt citum morbi decurſum itidem e viuis exceſſit. Abhinc, haud diu poſt, adminiſtri noſocomii, qui in duobus domiciliis a reliquo noſocomio ſeparatis, vna cum familiis ſuis habitabant, primi quidem cum febre petechiali ſimplici, mox vero reliqui etiam bubonibus & carbunculis afficiuntur, quorum mors praecox, contagium citiſſime ſe transfundens, & ſigna pathognomonica peſtis, nullum de praeſentia ipſius dubium relinquere videbantur. Medicus noſocomii primarius & Conſiliarius Collegiorum Cl. Schafonsky, perſpecta natura mali periculoſiſſimi, non praetermiſit, illico, de re tam graui, primum Poliatro Rinder, & quia hic etiam poſt iteratas inſpectiones in diagnoſi haeſitaret *), ipſi Gubernatori generali Comiti de Soltikow, denunciare. Demandatum itaque fuit, vt omnes Moſcuae praeſentes Medici in conſultationem congregati, in veritatem facti ſerio inquirerent, & ſententia apodictica litem dirimerent. Omnibus rite examinatis & perpenſis circumſtantiis, conſulto ſubſignato ſtatuerunt: *morbum hunc pro vera peſte habendum, noſocomium generale claudendum, & cum reliqua ciuitate communionem omnem interdicendam eſſe.* Hinc eodem die (Decembris XXII.) noſocomium excubiis militaribus circumcirca occupatur; reliquis quoque intra noſocomium rite adhibitis cautionibus, effectum fuit, quod contagium, nedum in noſocomio ipſo, diſſeminaretur. Ex omnibus variae aetatis & ſexus, in hiſce

*) Incredulitatis ſuae, rationem praecipuam hanc praetexuit, quod adminiſter vnus, in ipſo initio, dum tale quid in ſuſpicionem haud veniret, febre, vt videbatur, petechiali correptus, & in noſocomium ipſum translatus, quinto morbi die, cum carbunculo in dextro brachio, emoreretur; nemo tamen, ex adiacentibus aegrotis, adminiſtris, & medentibus, eum quamuis quotidie contrectantibus, inficeretur.

hiſce duobus domiciliis, numero XXX. degentibus, XXII. e vita migrarunt, V. conualuerunt, & III. tantummodo ſalui remanſerunt. Clauſura haec noſocomii, ad diem vſque primum menſis Martii anni inſequentis MDCCLXXI. continuabatur, & hypocauſta haec, vti lignea, ex proprio Auguſtiſſimae mandato, cum omnibus ſcrutis infectorum, cremabantur. Interea, dum nihil amplius de peſte in ciuitate innoteſceret, metus omnium fere animis excuſſus fuit; immo veritas aſſertionis Medicorum, de morbo hoc, vndique in dubium vocabatur. Tranquillitas vero haec, proh dolor! imaginaria fuit. Nam certo conſtat, veſtigia contagii haud dubia, per menſes Januarii & Februarii, hinc inde exſtitiſſe, quamuis notitiam regiminis, magno ſtudio ciuium, quorum intererat, fatum ſuum celare, effugerent. Die vero IX. Martii, Politiae vrbis denunciatum fuit, morbum ſumme contagioſum, in magna illa officina pannorum ad pontem lapideum, (vbi circiter tria millia operariorum continebantur) graſſari, mortuoſque, quauis nocte, haud paucos, clanculum humatu efferri. Mittebatur confeſtim, ad ſtatum rei examinandum, vna cum Officiali Politiae, Doctor Jagelſky, qui, poſt exactam perueſtigationem retulit, ſe in aegrotis & mortuis, ſigna plura valde ſuſpecta, vtpote petechias, carbunculos & bubones animaduertiſſe; morbumque in officina hac, inde a nouo anno, jam CXIII. necaſſe. Hanc ob cauſam a Gubernatore Generali, Medici iterum congregari jubebantur, & ſententia eorum, poſt accuratam in loco inſpectionem, requirebatur. Deputati, die vndecimo, hunc in finem, quinque, a coetu reliquorum, Medici, contemplatis in officina ipſa, VIII. cadaveribus, & XXI. aegrotis, in omnibus ſigna caracteriſtica peſtis inuenerunt; in relatione vero ab omnibus ſubſignata, morbum hunc: *putridum, contagioſum, periculoſiſſimum, & reſpectu ſignorum & circumſtantiarum quarundam, peſti prope accedere*, declararunt. Noua haec apparitio mali huius terribilis, quod jam eliminatum credebatur, a ſummo Regimine, tanquam periculoſiſſima, & quidem ſummo iure, iudicata

dicata fuit. Operarii nempe, cum eorum familiis, jam jam aegrotantes, in Monaſterium Ugreſchenſe; ſani vero, in fabricas quasdam vacuas, extra vrbem educebantur; omnibus rebus, tam ad victum, quam amictum neceſſariis, inſtruebantur, & ſtatiuae militares, ad communionem cum reliquis penitus impediendam, diſponebantur. Officina quoque infecta claudebatur, aditusque omnes ad illam, excubiis cuſtodiebantur. Porro: balneorum publicorum vſus interdictus, & omnibus habitantibus iniunctum fuit, de vnoquoque aegroto & mortuo ſtatim deferre, ad quorum inſpectiones inſtituendas, certi Medici & Chirurgi ſubornabantur. Medicis vero omnibus iubebatur, conſultationes frequentes inſtituere, & Senatui dirigenti, de omnibus ad ſalutem publicam conducentibus, pro re nata, ſententias ſuas proponere. Praecautionibus tamen hiſce vtut bonis, propagatio mali, jam per ciuitatem hinc inde diſſeminati, minime cohiberi potuit; ſed Medici & Chirurgi, quibus inſpectiones demandatae erant, non tantum in domibus, ſed etiam ſubinde in plateis, cum ſignis peſtis, mortuos offenderunt. Operariorum namque haud pauci ex officina infecta, futuram ſuam incarcerationem pertimeſcentes, aufugerunt, & ſe in ciuitate abſcondiderunt; multos quoque extra officinam habitantes, inuenire, impoſſibile fuit. Caeterum, exoptatus finis ob ſummam incredulitatem, & hinc deriuandum neglectum mediorum praeſeruatoriorum, difficile attingi videbatur, dum maxima pars habitantium, paucis cordatioribus exceptis, rumori huic de peſte aures praebere minime voluerunt; e contra, maxima cum indignatione, Medicis illam aſſerentibus aut ſuſpicantibus, tanquam turbatoribus tranquillitatis publicae, omnia dira vouebant. Nec defuerunt, quod maxime dolendum, Chirurgi immo Medici, qui clara voce praeſentiam peſtis negantes, vulgo incredulo, adulabantur; immo nonnulli eo proceſſerunt, vt documentis ſcriptis, & litteris huc Petropolin miſſis, opinionem ſuam, rationibus futilibus fulcitam, Proceribus variis obtrudere, conarentur. Hoc praeciſe tempore (die XVIII. Martii)

D 2 ego,

ego, ex Jaſſia, verſus Petropolin proficiſcens, Moſcuamque tranſiens apud amicum pernocto. Altero mane, dum me ad iter vlterius proſequendum, compono, en! Officialem, a Gubernatore Generali Comite de Soltikow, me ad illum vocantem. Dum comparuerim, venerandus Senex me ita alloquebatur: "In Metropoli hac morbus prorupit contagioſus, pernicioſus & forte ipſa peſtis; quia vero Medici hucuſque verum ei nomen imponere ambigunt, imo alii, eum, peſtem eſſe, abſolute negant, mihique notum eſt, te Jaſſiae peſtiferos curaſſe: neceſſe eſt, vt inſpectionem, aegrotorum & mortuorum, vbi detinentur infecti, exactiſſimam inſtituas, & quatenus definitio certa luis huius, non ſolum ad ſalutem ciuitatis, ſed totius Imperii, permultum facit, tanquam ingenuus Patriae filius, veritatem ſine vllo fuco mihi denuncies." Vehimur itaque rheda, cum Officiali Politiae, & Cl. Schafonsky, qui fors aderat, ad manſionem infectorum extra vrbem, & igne luculento in media area excitato, tam aegrotos, quam nuperrime defunctos, ex aduerſo ventu afferri jubeo. Omnia, vt ouum ouo peſti Jaſſienſi ſimillima, tam quoad ſymptomata, quam reliqua ſigna pathognomonica animaduerto; nec minimum haeſitavi, illuſtriſſimo Antiſtiti ſine ambagibus referre, luem hanc veram peſtem eſſe, & Eo jubente, teſtimonium ſcriptum, ad Auguſtiſſimam Imperatricem transmittendum, ſubſignare *). Poſt declarationem hanc meam poſitiuam, breui maxima pars nobilium ex ciuitate, in rura ſua migrauit; multi vero, vna cum populo, aſſertioni huic meae, neutiquam fidem habentes, me tanquam ſalſa-

*) Praeter ſpem, conſenſit, immo iuſſit Illuſtriſſimus vir, vt iter propoſitum verſus Petropolin continuarem, & viva voce, quae videram, interrogatus fuſius exponerem. Quamprimum adueni, foras non exii, ſed per litteras, Collegii medici Praeſidem, de omnibus certiorem feci, qui illico Auguſtiſſimae Monarchae eadem retulit. Hinc, quinto ab aduentu die, in Conſilium ſupremum Aulicum (conference) accerſor, & de omnibus minutim interrogor. Placuit tunc quoque Suae Majeſtati, Politiae Petropolitanae Medicum, me gratioſiſſime conſtituere.

falſarium obiurgabant; quametſi, etiam in conuentu Medicorum, die XXVI. eiuſdem menſis Martii habito, duobus refragantibus (Kuhleman nempe et Skiadan) exceptis, a reliquis omnibus, lues haec, pro ipſiſſima peſte pronunciata, & teſtimonium Senatui dirigenti oblatum fuerit. Mandato Auguſtiſſimae Imperatricis, omnes praecautiones nunc amplificari, & quae excogitari potuerint, media optima, ad tantum malum funditus tollendum, in vſum trahi iubebantur; ad quorum exactiſſimam executionem, peculiaris totius negotii peſtilentis adminiſtratio, Senatori Imperii de Jeropkin committebatur.

Illuſtriſſimus hic vir, qui poſtea per totum decurſum peſtis, indefeſſa ſua vigilantia, & fortitudine animi, palam monſtrauit, in quantum fiduciam Auguſtiſſimae promeruerit, mox conventui Medicorum iniunxit, vt conſilia tam praeſeruatiua quam curatiua, in vſum publicum typis euulganda, quantocyus communicarent. Horum ſumma huc rediit. Pro praeſeruatione ſuadebatur: ſtudioſa munditiei in feris, plateis & domibus obſeruatio; quisquiliarum & omnium putreſcibilium profunda inhumatio; (attamen, ne cadauera calce ſuperaſpergerentur) caloris & humiditatis in domiciliis vitatio; feneſtrarum adapertio; eſculentorum quoad ſalubritatem proba inſpectio; fumigatio in plateis & areis, ſecamentis pini, abietis & juniperi; in aedibus vero ipſis, vaporibus aceti, baccis juniperi, foliis eiusdem, puluere pyrio & nitro; mortuorum cum omni veſtimento cauta ſepultura, aegrorumque a ſanis cita remotio. Pro medicatione vero: in primis morbi diebus, emeticum ex XX. ad XXX. granis, pulueris radicis Ipecacuanhae & ſex granis Tartari vitriolati; exhibitio pulueris Corticis peruuiani ad drachmam ſemis, cum ſyrupo quodam omni trihorio, bihorio, immo quauis hora; potus frigidiuſculus ex aqua, vel decocto quodam, cum ſpiritu vitrioli, aceto, oxymelle, roob oxycoccos vel ſambuci, acidulato; alimentorum e regno vegetabili ſolo vſus; carbunculorum ſcarificatio; bu-

bonum maturatio & inciſio; ad citiorem ſuppurationem obtinendam, vnguentum digeſtiuum vel balſamus Arcaei, cum pauxillo ſalis ammoniaci, vel cantharidum pulveriſatarum ſubactum &c.

Vt de infectis & mortuis eo certius innoteſceret, tum quoque vt omnia mandata, meliori ordine, promptiuſque in effectum ducerentur: vnicuique ex XIV. partitionibus (quae poſtmodum adhuc ſubdiuiſae fuerunt), in quas ciuitas Moſcuenſis, a Politia diuidi ſolet, Conſiliarium vel Aſſeſſorem e Collegiis Moſcuenſibus, ſingulum praefecit, huicque Medicum vel Chirurgum pro inſpectionibus & Officialem Politiae adiunxit. Officium eius in eo conſiſtebat, vt ex omnibus ſuae partitionis domibus exactam quotidie, de numero aegrotantium & mortuorum notitiam traderet *), & ſi ex hiſce aliquis ſignis ſuſpectis affectus inueniretur, vel repentina morte decederet, tunc inſimul cum Medico vel Chirurgo, domos tales luſtrare debebat, dumque ſigna peſtis pathognomonica apparuerint, aegroti ſine mora, per proprios veredarios, in noſocomium peſtilens amandandi; ſed ſi adhuc dubia eſſent, in hypocauſto peculiari, debita circumſpectione habita, eouſque detinendi, donec ſtatus eorum aut periculoſus aut innoxius extra dubii aleam poneretur. Vt operarii, a quibus peſtiferi & mortui dum transportarentur, neceſſario contrectandi erant, ab infectione, quantum fieri poſſit, immunes ſeruentur, tunicis & chirothecis ex linteo pice oblinito confectis, indue-

*) Breui abhinc, dum lues tanta incrementa caperet, obſeruabatur, ciues ipſos, de propriis tam aegrotantibus, quam mortuis, minime exacte denunciare; imo defunctos in plateas noctu iactare, & nihil non moliri, quae ad diſſimulationem conditionis domeſticae perículoſae facere poſſit: hanc ob rationem, ſingulis X domibus, certus conſtitutus fuit inſpector, cuius officium in eo vnice conſiſtebat, vt bis de die, inquiſite ad indicem conſcriptam, omnes in vniuerſum nominatim vocaret; & ſi quem abſentem, aegrotantem vel denique mortuum offenderet, confeſtim Praefecto ſuae partitionis referret.

induebantur. Circa domos ſuſpectas, vel pro infectis declaratas, in initio, dum adhuc pauciores eſſent, excubiae militares, ad contagii, quoquo modo impediendam propagationem, diſponebantur. Mortui qui hucusque in coemeteriis, iuxta eccleſias ſitis, ſepulturae dabantur, nunc edicto ſupremo, in peculiaribus ſepulchretis extra vrbem deſignatis, tumulari iubebantur. Ad contagii ulteriorem, praeprimis verſus Petropolin, diſſeminationem praecauendam, ſtatiuae nouae vndique in viis maioribus (minoribus occluſis, & ſub poena maxima interdictis) locatae fuerunt; quibus rigoroſiſſime demandatum fuit, nemini peregrinantium ex regionibus ſuſpectis, praeſertim Moſcua, vel mercibus tranſitum concedere; niſi teſtimoniis a ſummo cuiusque loci Regimine, immunitatem ſuam a contagio, ſatis ſuperque probare valuerint. Reliquae quoque cautelae vſitatae, vtut, mora nunc maioris, nunc minoris temporis ſpatii; euentilatio; fumigatio & aſperſio cum aceto, omnium rerum, quibus viatores inſtructi erant, minime negligebantur. Quia ab exercitibus, parua Ruſſia, & reliquis trans Moſcuam ſitis prouinciis, via publica verſus Petropolin, amplius patere non potuit, alia prorſus ad latus eius adaptata fuit.

Per totos Maii & Iunii menſes, peſtis inter incolas rarius obſervabatur, quin etiam inter operarios ex magna pannorum officina, qui extra vrbem cuſtodiebantur, fere euanuiſſe videbatur. Hinc incredulum vulgus, & qui ei adſtipulabantur, iam victoriam canere haud praetermiſerunt, praeſertim dum operarios hoſce, hucuſque in quadrageſima detentos emitti, & balnea publica iterum aperiri cernerent. Inſolitus tamen numerus mortuorum in ciuitate, habitantibus ob emigrationes frequentiſſimas tantopere orbata, ſuſpicionem haud leuem mouit, multos peſte exſtinctos, & tanquam nihil extraordinarii habentes, ſepultos fuiſſe.

Circa medium menſis Iulii, lues inualeſcere incepit, vt, praeprimis in ſuburbiis totae jam familiae emorerentur, multique in plateis exanimes invenirentur. Adminiſtri Politiae, negotio huic peſtifero valde ancipiti deuoti,

deuoti, vtut veſpillones, veredarii, operarii, milites & reliqui, a continua fere contrectatione, & neglectu cautelarum illis praeſcriptarum, quotidie inficiebantur & defungebantur; hinc in eorum locum, malefici ex carceribus, quos poena capitis manebat, ſurrogabantur, ea tamen conditione, vt ſi peſtem ſuperarent, libertatem recuperarent. His, non multo poſt, etiam operarii ex variis officinis, nunc ob omne turbatum commercium feriantibus, cum emolumentis reſpectu eorum ſat amplis, adiungebantur. Quia numerus infectorum quotidie increſcebat, noſocomiumque Vgreſchenſe omnes capere non potuit, Monaſterium Simeonenſe, itidem extra ciuitatem ſed propius ſitum, iuſſu ſummi Regiminis euacuatum, & in noſocomium peſtilentiale adaptatum fuit. Mox etiam hinc inde in campis apertis, vmbracula pro infectis conſtruebantur; imo etiam in propriis aedibus reſtare, multis melioris notae ciuibus permittebatur. Pro ſimpliciter ſuſpectis excipiendis, & ad quadrageſimam (quarantaine) ſubeundam, Monaſterium Andronenſe, tum quoque alia aedificia vaſta ſuburbana, occupabantur. Tantum vero abeſt, vt omnes peſte affecti, nedum magnus eorum numerus, in noſocomia peſtilentialia cogi potuerit, quin maxima pars in domiciliis ſuis, antequam de iis, vti fas erat, innoteſceret, diem obirent ſupremum; quod in diffuſiſſima hac ciuitate, & obſtinata habitantium, contra optimas quamuis praecautiones reluctatione, fieri aliter haud potuit. Peſtis ſub finem menſis Auguſti jam ſic inualuit, vt numerus mortuorum quotidianus, vſque ad quadringenta & vltra excreſceret. Hinc cautelis jam jam in vſum vocatis, etiam nouae ſuperaddebantur, e. g. omnis venditio mercium ſuperfluarum, praeprimis veſtimentorum, ſupellectilium & ſcrutorum variorum, penitus interdicta, & tantum mercatio rerum maxime neceſſariarum, inprimis eſculentorum, ſub hac ſolum conditione permiſſa fuit, vt venditores pecunias nequaquam nudis manibus reciperent, ſed in vas aceto plenum immitti paterentur, (quod etiam in tabernis vinariis praeceptum erat). Omnibus in vniuerſum, vſus aceti, tam

cum

cum potu ordinario, quam pro aſperſione in domiciliis, & abluitione faciei, manuumque ſuadebatur, & hanc ob cauſſam pauperibus gratis elargiri jubebatur.

Menſe demum Septembris, dira haec lues, ad ſummum atrocitatis ſuae faſtigium euecta videbatur. Nam quouis die, vltra ſexcenta imo vſque mille funera, ex triſtiſſima nunc ciuitate efferebantur. Numerus notus omnium, qui hoc menſe e vita deceſſerunt, viginti millia ſuperabat, qui ob tantam jam factam depopulationem, & emigrationem praecedentem tot incolarum, certe inſignis reputari poteſt. Omnes hucvsque ſumma cum diligentia & rigore adhibitas praecautiones & media, effectum deſideratum, haud produxiſſe, clare apparuit. Rationes ſi quaeras, en potiſſimas! Prima miſeriae & infortunii huius ſcaturigo, incredulitas illa pertinaciſſima habenda erit, quae non ſolum in vulgi, ſed etiam quamplurimis melioris conditionis mentibus, tam altis defixa erat radicibus, vt, nullis rationibus, quantumuis euidentibus, eximi potuerit. Porro, ignara plebs, malum hoc a Supremo Numine, ob peccata permiſſum, nullis ſuperari poſſe mediis, illudque vnice ex contagio in aëre vagante, non vero variis rebus adhaerente, oriri, ſibi perſuaſum habuit; nec peſtem, ſed febrem putridam, nuncupauit. Qui ergo aliter fieri potuit? quin contagium, quod alias, (vti innumera exempla docuerunt) in ipſis quaſi incunabulis, ſi debita adhibeatur circumſpectio, ſuffocari poteſt, hic tam impune ſe diffunderet. Hoc certum eſt, quod vbique, apud infimae potiſſimum ſortis homines, in arctis, impuris, humidis & calidis domiciliis degentes, & primum ſeſe manifeſtauerit, & in eos quam maxime fureret. Hi, ſine vllo metu, aegrotos ſuos, pro more conſueto tractare; poſt exceſſum e viuis, lauare, induere, & varia poſt illos ſupellectilia, imo, quibus dum aegrotarunt, vtebantur, inter ſe partiri, vel aliis vendere, nunquam deſiſtebant; vt diſtractiones furtiuas ex aedibus emortuis & derelictis taceam. Maxima demum exaſperatio mali, ab ipſo eius remedio prognata fuit. Nam

quia tam infectorum, quam aliorum quamuis ſanorum, ob intimius tamen conſortium merito ſuſpectorum, neceſſaria omnino, praeſertim in initio judicabatur ſeparatio, euenit, vt ſi vnus vel alter in domo quadam peſte corriperetur, etiam reliqui in domos praeſeruatiuas, migrare, & omnia ſua poſt ſe relinquere cogerentur. Et quametſi aedes clauderentur, imo vtplurimum excubiae locarentur, ſaepiſſime tamen in abſentia dominorum, ſpoliationes notabiles a furibus patrabantur. Caeterum, ideae incarcerationis futurae; ſeparationis violentae a proximis conſanguineis, & negotii qualiscunque, reique domeſticae perturbationis, in vniuerſum odioſiſſimae euaſerunt. Ex hac ergo fonte, plurimae conſequentiae peſſimae, pleno riuo manarunt. Hinc factum, quod aegrotos & mortuos ſuos, omni data opera celarent contubernales; quod, tot cadauera in plateis inuenta; alia in ipſis habitationibus clanculum ſepulta fuerint; tum denique innumerae aliae inconuenientiae, ortum ſuum traherent.

Quantum rumores hi calamitoſi, de ſtatu tam deplorando Metropolis & regionis circumiacentis, Clementiſſimam Imperatricem, in ſalutem imperii, & ſubditorum Suorum vnice intentam, afflixerint, vel exinde colligere licet, quod Ipſa Moſcuam proficiſci ſtatuerit, niſi vrgentes tempore hoc belli circumſtantiae, praeſentiam Suam Petropoli exegiſſent. Placuit vero, Principem Orlow, cum plena quoad omnia authoritate, illuc legare. Jubebantur illum comitari: Senatores Imperii, Melgunow, Wolkow & Wſewolodſkoi; Generales, Davidow & Tſcherbatſchew; Conſiliarius ſtatus Baskakow; officiales quamplurimi & ego. Feſtinamus, quantum ob vias, a continuis fere pluuiis plane vitiatas, licuit, nec, niſi poſtremis diebus Septembris Moſcuam aduenimus, & in Palatio Imperiali, cum toto Comitatu diuertimur. At, quam miſera & triſtis facies, aliàs ſplendidae & populoſae ciuitatis! Nullae fere in plateis rhedae, niſi quae cadauera in coemeteria vehebant; homines qui occurrebant, vultu moeſto, dolorem animi praeſerebant; aedes

quam-

quamplurimae clauſae, vel deſertae, verbo: omnia deſolationem haud paruam indigitabant. Princeps totus in eo fuit, nihilque intentatum reliquit, quo finis legationis eius optatus, abolitio nempe peſtis, & reliquorum eam concomitantium malorum, quantocyus attingi poſſit. Ipſe, quotidie per plateas equo vectus, plebem alloquebatur, abiectum eius animum varia conſolatione erigebat, & dubium hucuſque pertinaciſſime affixum, de exiſtentia peſtis, non ſolum viva voce, ſed per impreſſam quoque, & vndique diuulgatam publicationem, argumentis ſolidis & euidentibus, animis incredulorum eximere ſtuduit. Vix credi poteſt, quantum, eius aduentus & procedendi ratio, effectum fere inexſpectatum produxerit. Manifeſte enim populus de die in diem contentior & ſequacior reddebatur; nec de praeſentia peſtis amplius dubitans, omnibus mediis, a ſummo Regimine praeſcriptis, ipſe quouis modo opitulabatur. Iam contactum infectorum, & omnium rerum ſuſpectarum ſolertius vitare, aegrotos ſuos, quibus intererat, vltro denunciare, noſocomia peſtilentialia non tam inuite, imo partim proprio nutu intrare, & combuſtiones publicas ſupellectilium infectorum, placida mente ferre coepit. Vt vero totum negotium antipeſtilentiale, eo meliore ordine & ſucceſſu procederet: peculiare Collegium ſanitatis inſtitutum fuit, cui non tantum Medici, Chirurgi, Pharmacopolia & Noſocomia, ſed etiam omnes reliqui, quorum in auertenda peſte partes aliquae in ciuitate erant, parere jubebantur. Scopus primarius, ad quem obtinendum, a Collegio hoc, omnes intendendi nerui eſſent, in eo conſiſtebat, vt aptiſſima & promptiſſima, ad peſtem praeſentem a reliquis arcendam, curandam & delendam, media bene penſitata, in medium produceret, & directionem ſpecialem totius rei peſtilentialis, ſub auſpiciis ſummi Imperii Senatus & Principis, adminiſtraret. Praeſes Collegii huius conſtitutus fuit, Senator Imperii Jeropkin; membra vero reliqua deſignabantur: Conſiliarius ſtatus Baskakow, Praepoſitus eccleſiae cathedralis primariae Lewſchinow, Doctores: Schafonsky, Jagelsky & ego; Chirurgus prima-

rius Graue, Chirurgus Samoilovitz & Mercator Dolgow. Eodem tempore Collegium quoque aliud *executionis* dictum, ſtabilitum fuit, cuius officium principale, in regenda Politia ciuitatis, & promptiſſime exequendis diſpoſitionibus Collegii ſanitatis poſitum erat. Munus in eo Praeſidis, Senatori Imperii Wolkow, demandatum fuit, cui ſupremus Politiae Magiſter, Bachmetiew, & Conſiliarius Collegiorum Boriſſow, vt-vt Aſſeſſores, adiungebantur. In magna illa ſerie occupationum, quibus Collegium ſanitatis, vacare debuit, primam omnino attentionem promeruit, reflexio haec, quod nempe ex peſte Jaſſienſi innotuerit, infectos permultos, ſudoribus, in primis morbi inſultibus, ſufficienter, & debito modo, prouocatis; alios vero, poſt repletionem ſtomachi peſte acutiſſima correptos, emetico ſolo propinato, priſtinam breui recuperaſſe ſanitatem. Spes itaque non exigua affulſit, etiam hic loci, haud paucos a certa pernicie liberari poſſe, dummodo media, inprimis facile comparanda & domeſtica, hunc vero finem attingentia, in notitiam vulgi peruenirent. Hanc ob rationem per ſchedam impreſſam, vndique diſtributam, methodus ſimpliciſſima, etiam ab infimae conditionis hominibus, comprehenſibilis, qua ipſi ſibi vbique medicari poſſent, haud praetermiſſa quoque ſymptomatum potiſſimorum & debiti regiminis indigitatione, evulgabatur; quam mox altera jam diffuſior, in qua ſymptomata, methodus medendi & prophylaxis ſuccincte proponebantur, ſequebatur. Summam eorum hic indigitare ſuperſedeo, quia cum infra tradenda deſcriptione peſtis quoad omnia conſentiunt.

Populus nunc jam multo docilior factus, infectos ſuos, non amplius tanto ſtudio celare, ſed illos quoad partem ſua ſponte deferre, & receptionem eorum in noſocomia efflagitare coepit. Dum vero, vnicum illud, quod exſtabat peſtilentiale Simeonenſe, vtvt magnum, omnibus capiendis vix jam ſufficeret, neceſſe erat, plura nunc, hunc in finem domicilia magna, adaptare, omnibuſque rebus neceſſariis, praeſertim medentibus, inſtruere. Hanc ob rationem, Palatium vetus Imperiale

(Lefor-

(Lefortienſe dictum) & Monaſterium Pokrouenſe, pro excipiendis peſte affectis, in ſubſidium deſignabantur. Quia vero medicatio peſtiferorum, in Monaſterio Simeonenſe, hucuſque, non niſi a paucis Chirurgis, vt plurimum vi coactis, inſtituta fuerit, nec a talibus inuoluntariis impoſterum magni profectus ſperandi eſſent: a Principe, ſcriptum circulare ad omnes Medicos & Chirurgos mittebatur, in quo praemia haud contemnenda, etiam in viduas & liberos eorum, ſi quibus e vita excedere, contingeret, extendenda, illis, qui ſe ultro offerrent, promittebantur. Hoc ipſo effectum fuit, vt duo Medici, Pogoretsky & Melzer, vna cum plurimis Chirurgis, Subchirurgis & barbitonſoribus, aleam hanc periculo plenam, proprio nutu ſuſciperent. Hi, ſine mora ad ſtationes aſſignatas ablegati, & norma peculiari, in qua officia eorum, & reliqua ad ordinem in Noſocomiis ſpectantia, conſcripta erant, a Collegio Sanitatis inſtructi, de omnibus quotidie referre, & praeſertim, obſeruationes exactas communicare jubebantur; quod etiam reliquis omnibus Medicis & Chirurgis, in partitionibus ciuitatis, peſtiferos inceſſanter ex officio viſitantibus, & quibus multa obſeruata, notatu digna, occurrere poterant, iniunctum erat.

Cumulum malorum etiam ſuperſtitiones variae augebant, ex quibus haec non minime pernicioſa fuit, quod infecti (vti Jaſſiae quoque a me obſeruatum fuit), rem qualemcunque, nec viliſſimam, vtut: pecunias, veſtimenta, vtenſilia &c. in plateas, vel alia loca frequentata, jactitarent, hac ſpe, fore, vt morbus ab illis in ſuſceptores tranſeat. Quid mirum itaque, ſi contagium, praeſertim dum vulgus adhaeſionem eius minime crederet, etiam hac ratione permultum diſſeminaretur. Hanc ob cauſſam ergo, Officiales ſpeciales, ſuis ſtipati adiutoribus, conſtituebantur, qui vndique circumuagare, & res tales reiectas, ſine exceptione, adhibitis tamen cautelis, quoad propriam praeſeruationem, in loco comburere, vel quae ab igne deſtrui non poterant, profunde inhumare jubebantur.

Ne domus emortuae ſpoliarentur, mandato dirigentis Senatus, poena capitis in fures, in eo ipſo loco illico exequenda, publicata fuit.

Congregationes maiores, in eccleſiis, foris, proceſſionibus & juxta imagines miraculoſas, ne vulgus irritaretur, quantum fieri potuit, blandis hortatibus vtplurimum diſſoluebantur.

Cum jam, ad mortuos in coemeteria extra vrbem tranſportandos, veredarii deficerent, vel ſaltem care admodum proſtarent; nec ſarcophagi, niſi pro pretio enormi venales eſſent, multique ex pauperioribus, defunctos ſuos terrae mandare, haud potuerunt: a ſummo Regimine ſtatutum fuit, ex aerario publico, impenſas ad ſandapilas comparandas, gratis elargiri, mortuoſque, rhedis itidem publicis ad ſepulturam euehere.

Vt infecti eo lubentius Noſocomia peſtilentialia intrarent, nec ſtatum ſuum periculoſiſſimum, ad perniciem reliquorum diutiſſime diſſimularent: vnicuique vltro accedenti, quando ſanus dimittendus eſſet, coniugato X. innubo vero V. rubliones pollicebantur.

Quia tempore hoc calamitoſo, in multis domibus, parui ſolummodo infantes reſtarent, parentibus & reliquis natu maioribus vita defunctis; orphanotrophium vero magnum clauſum eſſet: eapropter aedificium peculiare occupabatur, & omnibus rebus neceſſariis inſtruebatur, vbi infortunati hi recipiebantur.

Quamuis edicto rigoroſo, omnibus incolis praeceptum fuerit, vt omnia, poſt peſte defunctos, ſuppellectilia, praeprimis quae durante morbo, contrectationem eorum ſubierint, vel aliter ſuſpecta eſſent ſine exceptione, circumſpectione tamen debita haud praetermiſſa, igni comburenda traderent; innotuit tamen, quod multi ex infima plebe, res maxime ſuſpectas in terram infoderent, eo certe animo, vt poſtea iis vterentur. Hinc, ne in poſterum lues, vel ex hac cauſſa iterum erumperet, certi Officiales mittebantur, qui cum adiutoribus ſuis, vndique domos

domos tales exacte viſitare, omniaque ſuſpecta, in certis ad hunc finem deſtinatis locis cremare debebant.

Suſcipio haud leuis enata fuit, canes & feles, in plateis & domibus, praeprimis emortuis vndique vagantes, contagium ſecum ferre & transplantare: ea propter canicidae, eos quotquot errantes inuenerint, exterminare jubebantur.

Collegium ſanitatis ex relationibus quotidianis non ſine indignatione animaduertit, maximum peſte defunctorum numerum, ex ipſis domibus, ſemper efferri; in Noſocomia vero infectos pauciores adduci: hinc indubie colligere licuit, quod habitantium pars potior, ad tempeſtivam de infectis ſuis denunciationem, nec minis nec pollicitationibus permouenda eſſet. Quia vero relnctatio haec obſtinata mandatorum, non niſi ab auerſione ſumma, qua Noſocomia peſtilentialia deteſtabant, provenire potuit; jamque ex experientia quotidiana euidentiſſime apparuit, permultos, ſi in ipſo principio morbi, debita & jam vndique publicata methodo curarentur, a certa internecione, breuiſſimo temporis ſpatio liberari, & hoc ipſo, propagationi luis limites poni poſſe: conſultum fuit, ad inconuenientiam hanc maximam remouendam, ſequentem procedendi rationem experiri. Omnibus nempe in vniuerſum incolis ſignificabatur: aegrotis in poſterum, libertatem domi permanendi concedi, nec in Noſocomia peſtilentialia vi cogi, dummodo hiſce conditionibus exacte morem gererent. Simulac ſymptomata primitiua infectionis factae, jam ſat nota, vtut, dolor capitis, rubedo oculorum, nauſea & ſic porro ſeſe manifeſtarent, tunc aegrotus confeſtim a conſortio reliquorum ſeparandus, & in conclaue peculiare introducendus, mediaque domeſtica cum regimine, in ſcheda jam diuulgata praeſcripta, ſine mora in vſum vocanda erant; inſimul vero Medicus vel Chirurgus partitionis accerſendus, qui medicamentis maxime neceſſariis, e Pharmacopolio Imperiali gratis impetrandis, inſtructus, illico ea propinare, & viſitationes crebras inſtituere debebat, vſque quo vel melius ſe haberet, vel morbo

ingra-

ingraueſcente, in Noſocomium, proprio, vel ſuorum nutu, transportaretur; permiſſione quoque apud ſuos reſtandi, ſi cautelis ſatisfaciendis pares eſſent, conceſſa. Si vero aequiſſimae huic praeſcriptioni, non obtemperaretur, tunc ipſe dominus in Noſocomium peſtilentiale, ad vices adminiſtri obeundas, infallibiliter mittendus erat; & pro exactiore obſeruatione obtinenda, praemium notabile, delatoribus promittebatur. Dici vix poteſt, quantum ordinatio haec emolumentum produxerit; nam nunc, de omnibus fere infectis, a prima ſtatim luis inuaſione rite innotuit, permultique, in ipſis mali incunabulis, ex orci quaſi faucibus eripiebantur; progreſſu quoque contagii hoc ipſo efficaciſſime diminuto.

Dum etiam in hac peſte, permultis exemplis, ſat ſuperque evictum eſſet, venaeſectiones, non ſolum inutiles, ſed noxias prorſus euadere: omnibus barbitonſoribus, ſub rigoroſa poena indigitabatur, hoc tempore nemini, niſi ex praeſcripto Medici, venam ſecare.

Ne a mendicis, tempore hoc calamitoſo multiplicatis, vndique palantibus (& de quibus ſuſpicabatur, eos tam ex neceſſitate, quam iniqua potiundi cupidine, res varias infectas, praeſertim e domibus emortuis, quarum nunc ingens numerus exſtabat, detrahere, & ſic contagium ſpargere) malum adaugeretur: omnes quotquot prehenſare licuit, a Politiae miniſtris, in Monaſterium Ugreſchenſe educebantur, ibique publicis ſumtibus alebantur & veſtiebantur.

Clero quoque Moſcuenſi, ex mandato ſanctiſſimae Synodi, negotium hoc legatum fuit, vt omni data occaſione, in concionibus, & poſt cultum diuinum finitum, in eccleſiis, populo, exploratam veritatem peſtis; fugae contagii, & obſequii ordinationibus a ſummo Regimine emanatis, praeſtandi, neceſſitatem, ſedulo inculcarent: imo ſchedas impreſſas, in quibus media tam praeſeruatiua quam curatiua, explanata erant, praelegerent.

Quam-

Quamuis peſtis, in initio menſis Octobris, in maximo ſuo vigore conſtituta videretur; attamen paullatim verſus finem eius miteſcere coepit, adeo vt numerus mortuorum, ſupra ſeptendecim millia, ergo, jam aliquot millibus minor, quam menſe praecedente eſſet. Tempeſtas toto hoc menſe pluuioſa, nebuloſa & tepidiuſcula fuit; hinc continuationem mali multum promouit.

Habitacula perplurima emortua, lignea, praeſertim in ſuburbiis, ſi ita ſita eſſent, vt hoc ſine periculo aliorum fieri potuerit, cum omni in illis contento ſupellectile, comburebantur.

E reliquis vero, itidem emortuis, & huc vſque occluſis domibus, omnia, (exceptis ſanctis imaginibus, ſcripturis valde neceſſariis, & rebus e metallis variis confectis, quae in eccleſiis variis, vſque ad inſequentem purificationem, recondebantur, & tandem rite luſtratae haeredibus, ſi qui ſeſe approbauerint, reddebantur), per ſpeciales officiales, adminiſtros & curros, in loca aperta deſignata, cum debitis, reſpectu contagii, cautelis, tranſportabantur, & aceruatim incendebantur.

Dum vero, tot aliae reſtarent aedes emortuae, tam ligneae quam lateritiae, quas vel ob arctum cum aliis connexum, vel alias circumſtantias, totas quantas comburere, minime fas erat; dum porro, in tanta multitudine domorum ſimpliciter infectarum, in quibus plures paucioreſue, quamuis non omnes, lue correpti fuerant, multae omnino res ſuſpectae latitarent, quas omnes exſtirpare, impoſſibile plane fuit: Collegium ſanitatis, ſuffimigia in ſubſidium vocare ſtatuit, & formulas tres ſuffimentorum (quorum deſcriptiones, infra, ſub experientiis occurrent), pro vario vſu, fortiores & mitiores, concinnauit. Vt vero eo certius comperiretur, quantum iis, in poſterum fidendum, haud abs re judicauimus, fore, ſi experimentum in anteceſſum caperetur. Annuente itaque dirigente Senatu, & Principe, VII. malefici, capite damnati, e carcere, in domum quandam, juxta Monaſterium Simeonenſe ſitam, emortuam, per quatuor vero dies conſecutiuos, puluere fumali antipeſtilentiali

lentiali forti, bis in die, fumigatam, ducuntur, propriiſque abiectis, veſtimentis peſte nuperrime defunctorum, & ſanie e carbunculis bubonibuſque conſpurcatis, at itidem per quatuor dies ſuffitis, & per alios ſex euentilatis induuntur. Praeter exſpectationem fere, totos XVI. dies ſalvi permanent; hinc libertatem promiſſam nacti, in conſortium reliquorum ſanorum dimittuntur. Quamprimum fama ſucceſſus huius exoptati in vulgus euolarit, (nam Collegium ſanitatis non defuit, formulas haſce, vna cum methodo iis vtendi, ſcheda impreſſa, illico publici juris facere) tanta fiducia, ſuffimigiis hiſce vti coeperunt incolae, vt nonnulla eorum ingredientia, quamuis vulgatiſſima & in maxima aliàs quantitate proſtantia breui deficerent, & ex Petropoli & aliis vrbibus peti deberent. Aeque verum ac fere incredibile eſt, peſtem nullibi, poſt vſurpationem ſuffimigiorum horum recruduiſſe. Omnia enim habitacula, cuiuscunque fuerint conditionis emortua, infecta, lignea, lateritia, majora, minora, plus minuſue, vario ſupellectili inſtructa, poſt factas ſumigationes ſana perdurarunt. Obiiciat forte quis! peſtem jam tum in declinatione fuiſſe. Aſt, adfuit tunc tamen, & quidem ſat virulenta; nam menſe Nouembris adhuc ſupra quinque millia, & Decembris plus quam octingenti, ex eadem lue, ad plures migrarunt. Fuerunt vero omnes hi infecti, quod in Collegio ſanitatis probe notauimus, ex domibus pauperrimis, quibus vſus ſuffimigiorum, nondum familiaris euaſit, nec forte ſibi comparare valuerunt; quam ob rem mox omnibus egenis, ex Pharmacopolio Imperiali gratis diſpenſari jubebantur. Perſpecta vtilitate, quam ſuffimenta haec praeſtabant euidentiſſima, quotquot ſeſe praeſentarent, melioris notae homines, tam Officiales, quam alii, a Collegio ſanitatis, ſalario honeſto conducuntur; adiutoribus quoque, inſtrumentis neceſſariis, & norma conſcripta inſtructi, in omnes ciuitatis partes mittuntur. Fumigatio haec in eccleſiis, quarum ſacerdotes peſte occubuerunt, hinc ſuſpectae & clauſae erant; Collegiis variis; officinis; noſocomiis; tabernis vinariis & mercatoriis, aedibuſque

omni-

mnibus particularibus, tam emortuis, quam ſimpliciter infectis, ſumma cum diligentia peragebatur, & per totam fere hyemem continuabatur. Imo, vſus ſuffimigiorum horum breui ita increbuit, vt non tantum Moſcuae, ſed etiam in omnibus facile aliis vrbibus & pagis infectis, tum etiam in ſtatiuis ad vias, ſcopo tam depuratiuo, quam praeſeruatiuo, optimo vndique cum ſucceſſu, in conſuetudinem venirent.

Menſe Decembris, triſtiſſimus hucuſque Moſcuae ſtatus, indies in laetiorem mutabatur; nam contagium tantum jam imminutum fuit, vt non plura quam DCCCV. funera numerarentur.

Tandem, vna cum nouo anno, ita jam ſiluit, vt die quinto Januarii anno MDCCLXXII. nec vnicus vel peſte, vel alio morbo mortuus, in tota ciuitate, inueniretur. Et quamquam hoc menſe pauciſſimi (veroſimiliter a rebus infectis hinc inde occultatis) adhuc a peſte afficerentur, attamen, verſus finem eius, diuina benedicente gratia, penitus exſtincta fuit.

Hactenus peſtem contemplati ſumus, quomodo Moſcuae, tanquam in proſcenio ſuo principali, tragoediam luguberrimam luſerit: nunc, de eius quoque in viciniam propagatione, paucis commemorare haud ſuperfluum erit. Rationes diſſeminationis contagii faciles, nec e longinquo petendae ſunt. Moſcua, ciuitas haec, omnium europaearum, niſi omnia me fallunt, vaſtiſſima, quaſi centrum totius Imperii, non ſolum quoad ſitum, ſed etiam quoad omnia reliqua reputari debet. Hic enim Senatus dirigens & Collegia imperii aeque ac Petropoli; Fabricae principales; commercium valde extenſum, & habitatio maximae partis Procerum & Nobilium Ruſſiae primariorum. Hinc, confluxus peregrinantium ex omnibus plagis continuus; praeſertim tempore hoc belli, dum omnia fere pro copiis veſtiendis & armandis abhinc petenda erant. Quid mirum ergo? ſi peſtis, dum jam illam irreptauit, & ſenſim adoleuit, etiam in regiones circumiacentes, per tot innumeros, quouis momento, quaquauerſum proficiſcentes, tranſueheretur. Nec,

dum jam ſub vero ſuo nomine innotuit malum, Metropolin hanc, in totum occludere, & exitum omnibus in vniuerſum, denegare poſſibile fuit. Nam, tota eius ſuſtentatio, quoad alimenta, ligna, pabulum beſtiarum, & tot alias res neceſſarias, a prouinciis eam ambientibus continuo aduehi debuit *). Qui itaque aliter euenire potuit, quam vt advenae hi, in variis domibus hoſpitantes, & varias res coëmentes, (inprimis quae viliori pretio proſtarent,) contagio inquinati, luem, vel in propria domicilia, aut ſi ea non attingerent, in hoſpitia viarum ſecum afferrent. Multa quidem praedia, praeſertim vbi Nobiles ipſi aderant, clauſis omnibus aditibus, & omni cum reliquis communione interrupta, ſalua reſtitarunt. E contra, in aliis quamplurimis, neglecta hac cautela, vti ſimpliciſſima, ſic primaria, lues facile immigrauit, quando incolae eorum, vel lucri cupidine ſeducti, Moſcuam adire haud praetermiſerint, aut tanquam operarii ibi degentes, domum reverterentur. Penetrauit demum lues haec, non ſolum in pagos & villas vicinas, ſed etiam in varia oppida longius remota, vti: Borowsk, Kaluga, Tula, Jaroslawl &c. magiſtratus vero vrbium harum, in ſalutem ſuam inuigilantes, & de periculo admoniti, ſtrictiſſimis praecautionibus

*) Fuerunt certe a Collegio ſanitatis variae, & quantum fieri potuit, optimae ordinationes ſancitae e. g. aduectio omnium rerum neceſſariarum, non in ciuitatem ipſam, ſed ad valles eius, in certa deſignata loca, vbi venditores pecunias ipſas, in vaſcula aceto repleta recipere jubebantur, permiſſa fuit Omnes proficiſcentes, praeſertim verſus Petropolin, non niſi exactiſſimis cautelis in vſum vocatis, nec niſi ſumma exigente neceſſitate dimittebantur. Debebant teſtimonia certiſſima producere, quod domus, in quibus hucuſque habitauerant, toto tempore peſtis, ab omni infectione liberae permanſerint, & poſtea, in aedificiis peculiaribus, extra vrbem ſitis & excubiis inſtructis, per integros XV. dies, (a Medico, & ſi feminae fuerint ab obſtetrice jurata, quotidie inſpiciendi) reſtare. Interea, omnes pro itinere res neceſſariae, perpetuo euentilabantur, & pulueribus antipeſtilentialibus ſuffimigabantur &c. ſtatiuae quoque tam ad portas ciuitatis, quam vndique in viis maioribus conſtitutae, cautelas rigoroſiſſimas cum peregrinatoribus obſeruabant.

nibus ſuis, malum communiter in prima eius inuaſione ſuffocarunt. In poſtrema tamen vrbe, vti magna & populoſa cladem inſignem attulit, quapropter ad eius furorem reprimendum, Generalis Kreſchetnikow, & Doctor Hallidaus illuc mittebantur.

Pro meliori ordine, & citiori peſtis in territorio Moſcuenſi exſtirpatione, obtinenda, expeditio particularis, ad exemplum Collegii ſanitatis inſtaurata fuit, cui Senator Imperii Melgunow praeficebatur, eique XII. ex Conſiliariis & Aſſeſſoribus Collegiorum adiungebantur; qui totidem partitionibus, Chirurgis quoque inſtructis, proſpicere, & ordinationibus Collegii ſanitatis, tam jam datis, quam in poſterum ad omnes caſus grauiores communicandis, ſtricte ſe conformare, jubebantur. Omnia haec, ſub auſpicio dirigentis Senatus, eo cum ſucceſſu gerebantur, vt peſtis ſenſim, in omnibus vrbibus & villis Ruſſiae, per hyemem inſtantem, in totum exſtingueretur.

Coeli ſtatus Moſcuae, per totum fere peſtis tempus generaliter valde inconſtans pluvioſus & tepidus fuit. Hyemem anni MDCCLXXI. minime vti alias ſolet rigoroſam, plurimiſque variationibus & ſubſtilis interſtinctam, ver excepit ei ſimillimum. Menſibus Maii & Junii, aura conſtantior & ſiccior ſpirabat; aſt Julio & Auguſto, iterum variabilis facta tempeſtas, per totos Septembris & Octobris menſes, non niſi pluuiis continuis, vel ſaltem aëre nebuloſo tepidiuſculo, auſtro fere ſine interruptione ſtante, continuauit. Mercurius in Barometro, ſemper valde depreſſus ſtabat, & ſi quandoque lente aſcenderet, breui tamen iterum & quidem citiſſime ſublabebatur. Aquilo in noſtro climate, aërem ſerenum, purum & frigidum reddere ſolet, nunc vero, ſi quando intercurreret, nulla mutatio inſequebatur; e contra, dum in initio Nouembris, coelum per aliquot dies ſerenum, cum gelu modico coniuncto, fieret, ventus auſtrinus flabat, qui iterum borealis factus, tempeſtatem nebuloſam, humidam & tepidiuſculam attulit; quaſi tempore hoc calamitoſo, etiam natura ipſa variaret. Porro, circuli & co-

lumnae circa ſolem & lunam, (ſi quando ſerenitas aliqualis alluxerit) frequentes, & nubes de die tenues, albeſcentes, in occaſu vero ſolis inſuete coloratae, aërem vaporibus continuo refertam, ſignificabant. Hoc quoque tanquam phoenomenon ſingulare vix praetermittere poſſum, quod die III. Nouembris circa meridiem, quamuis terra jam congelata, aërque ſat frigidus fuerit, examina culicum tripudantia obſeruauerim. A medio Decembris, vſque ad XII. Januarii, eurus fere ſine interruptione flauit; frigus hoc tempore modicum, ſubinde procellae *) & niues copioſae, cum coelo plerumque nubilo. Die IX. Januarii, aſcenſus mercurii in Barometro, inſolitus plane fuit, & per tres dies, in eodem fere gradu ſubſiſtit; frigoribus jam ſat vehementibus factis.

Peſte nunc, fauore Summi Numinis, non tantum Moſcuae, ſed etiam ſucceſſiue in toto territorio eius, penitus exſtincta: Collegium ſanitatis, id ſibi praeprimis officii incumbere reputauit, vt ſeminia contagii, tempore hoc hyberno, vſquequaque, quantum fieri potuerit, radicitus delerentur, luiſque huius terribilis reapparitioni (vti in multis aliis peſte afflictis locis ſaepe euenit) praecaueretur. Hunc in finem omnibus Moſcuae & ruri degentibus, publico mandato praeceptum fuit, vt bruma nunc perſiſtente, in omnibus domibus, ab infectione inquinatis, feneſtrae (imo portae ſi inhabitatae fuerint) quantum ob tempeſtatem liceret, apertae tenerentur, omneſque in vniuerſum res vel tantillum ſuſpectae, ſedulo euentilarentur, fumigarenturque.

Quia in vigore peſtis, ſepulcra, ob defectum veſpillonum ſufficientium, & incuriam, tunc temporis vix corrigendam, in coemeteriis, nec ſat profunde effoſſa, nec vt decebat, ſatis tumulata fuerint: hanc ob rationem, ne ab exhalationibus noxiis, damnum irreparabile inſequeretur,

*) Talis procella die XXX. Decembris de nocte irruit, qua Palatium Imperiale ligneum, in quo hucusque habitanimus, ex incuria militis cuiusdam, totum quantum incendio conſumtum fuit. Diebus vero inſequentibus, contagium euidenter euiguit, & breui pòſt exſtinguebatur.

tur, ea, magnis omnino ſumtibus, vndique ad profunditatem ulnae, terra aducecta obruebantur.

Circa medium menſis Februarii, Collegio ſanitatis denunciatum fuit, hinc inde in domibus emortuis & infectis (quarum nunc depuratio, praeſertim pulueribus fumigatoriis inſtituebatur) cadauera clanculum inhumata, vel aliter occultata reperiri. Multi namque, praeſertim ex infima plebe, mortuos ſuos celabant, & ne ſe ſuſpectos redderent, ſub pauimentis, tectis, in areis, hortis vel aliis locis recondebant, vel tantum ſuperficialiter ſepeliebant. Vti res haec inſolita, attamen haud inexſpectata, attentionem ſeriam Collegii ſanitatis, meruit: ita quoque ſine diſpendio temporis, certi Officiales, cum veſpillonibus (ex maleficis incarceratis ſumtis) in omnes domus tam emortuas quam infectas mittebantur, qui, cautelis quoad propriam conſeruationem ex praeſcripto obſeruatis, cadauera vndique explorarent; & quae in locis ſpatioſis non ſat profunde inhumata fuerunt, eorum ſepulcra terra multa contegere, caetera vero nuda reperta, in coemeteria tranſportare, jubebantur. Vtque depuratio haec domorum a cadaueribus, exactiſſima fieret, delatori ſingulo XX. rubliones pro praemio ſoluebantur. Hac ratione, circiter mille cadauera in habitationibus ipſis reperta fuerunt. Notabile omnino fuit, neminem ex veſpillonibus, vel aliis in negotio hoc periculoſo verſantibus, infectum, nedum morbo aliquo correptum fuiſſe, quamuis tanta ab omni infectione incolumitas vix ac ne vix quidem ſperari poſſe videbatur.

Haud ingratum fore crediderim, ſi tabulas, ab initio fere peſtis, vſque ad diſſolutionem Collegii ſanitatis, Moſcuae mortuorum, ex quotidianis relationibus, ſumma exactitudine excerptas, hic communicauerim.

Anno

Anno MDCCLXXI.		mortui
Menſe	Aprilis	744
—	Maii	851
—	Junii	1099
—	Julii	1708
—	Auguſti	7268
—	Septembris	21401
—	Octobris	17561
—	Nouembris	5235
—	Decembris	805
	Summa	56772

Anno MDCCLXXII.		
—	Januarii	330
—	Februarii	352
—	Martii	334
—	Aprilis	374
—	Maii	285
—	Junii	247
—	Julii	276
—	Auguſti	354
—	Septembris	238
—	Octobris	268
—	Nouembris	284
—	Decembris	350
	Summa	3692

Anno MDCCLXXIII.		
—	Januarii	468
—	Februarii	468
—	Martii	589
—	Aprilis	611
Menſe	Maii	675
—	Junii	834
—	Julii	945
—	Auguſti	804
—	Septembris	525
—	Octobris	403
—	Nouembris	415
—	Decembris	458
	Summa	7295

Anno MDCCLXXIV.		
—	Januarii	494
—	Februarii	473
—	Martii	599
—	Aprilis	596
—	Maii	608
—	Junii	709
—	Julii	810
—	Auguſti	796
—	Septembris	635
—	Octobris	550
—	Nouembris	580
—	Decembris	677
	Summa	7527

Anno MDCCLXXV.		
—	Januarii	595
—	Februarii	598
—	Martii	811
—	Aprilis	869
—	Maii	699
—	Junii	828
—	Julii	905
—	Auguſti	1254
	Summa	6559

Nota. 1) Numerum mortuorum, tempore peſtis, multo maiorem, quam in tabula hac profertur, exſtitiſſe, vel exinde patet, quod, tot cadauera in habitationibus ipſis reperta; tum quoque, quod, de multis in initio peſtis, vix ac ne vix quidem, nec tanta ac poſtea exactitudine relatum fuerit. 2) Numerus exiguus anni MDCCLXXII. tum ex naturali conſequentia interitus praegreſſi tot mille ciuium, & multorum adhuc in prouinciis abſentia, tum quoque ex ſalubri admodum conſtitutione deriuandus. 3) Hinc, annis MDCCLXXIII. MDCCLXXIV. & MDCCLXXV. mortalitas jam notabiliter aucta, quia affluxus hominum inſignis, & morbi varii populariter graſſantes, multos e medio tollerent.

Ex 12538. domibus, quae tempore peſtis Moſcuae numerabantur, ter mille & quod excedit plane emortuae, & circiter ſex mille infectae, in cenſum venerunt. Praeter 117. eccleſias, etiam permulta Collegia, Fabricae, aliaque aedificia publica, quatenus infectioni obnoxia, vel minimùm ſuſpecta, ſuffimigiis & euentilatione per hyemem depurgata fuerunt.

Numerum peſte mortuorum, in toto territorio Moſcuenſi, inire, quamuis mihi haud datum ſit; attamen coniecturari licet, eum, in tanta multitudine villarum & pagorum infectorum, haud minorem quam in ciuitate ipſa, exſtitiſſe.

Dum menſe jam Martii & ſequentibus, nihil de peſte amplius audiretur: tempora quadrageſimarum, tam in via publica petropolitana, quam aliis ſucceſſiue diminuenbatur, & tranſportatio mercium, ſub certis tamen cautelis ſtrictiſſime obſeruandis, libera reddebatur.

Quametſi occupationes Collegii ſanitatis, nunc jam finitae viderentur, placuit tamen Auguſtiſſimae Imperatrici, vt ſeſſiones noſtras continuaremus; quod vſque in menſem Septembris anni MDCCLXXV. factum fuit. Metus namque haud iniuſtus reſtitauit, ne peſtis de nouo ex Imperio Ottomannico, cuius limites copiae noſtrae in maxima lati-

tudine tranſierunt, irreperet. Et re ipſa lues haec in Moldauia, Wallachia, Beſſarabia & Crimaea, milites noſtros, praeprimis in noſocomiis militaribus ſubinde aggredi haud praetermiſit, quamuis alias vix multum graſſaretur, ſed ſporadice tantum hinc inde proſiliret. Sic autumno anni MDCCLXXIII. in nonnullis regionibus Ukrainiae, Setſchae Saporogorum, fortalitio Sti. Demetrii & Taganrogi, tum quoque in Perſiae confiniis circa Kislar & Moſdok, ſeſe manifeſtaſſe, Collegio ſanitatis e variis hiſce locis referebatur.

Febres illae irregulares, quae annis MDCCLXXIV. & MDCCLXXV. vere praeſertim & aeſtate Moſcuae graſſabantur, vehementiſſimae, tanquam ſequelae peſtis, non quidem Moſcuenſis, ſed Moldauienſis & Crimenſis, haberi poſſunt; hinc quoque communiter febres crimenſes a vulgo denominabantur. Multi enim peregrinatores, praeprimis Praefecti militum, ab exercitibus, tam primo quam ſecundo (vti vocabantur) huc reuertebantur, & ſeminia febrium harum ſecum attulerunt. Dum anno MDCCLXXII. cum Principe Orlow, Moldaviam reuiſo, jam eaſdem febres ibi animaduerti; peſte quoque ſubinde & promiſcue quaſi ſeſe exſerente, vti ſupra ad finem hiſtoriae peſtis Jasſienſis notaui. Hinc nullum apud me reſtat dubium, febres has, per contagium, Moſcuam delatas fuiſſe. Contagioſae namque fuerunt, ita vt ſi in domo quadam apparuerint, plures, imo ſubinde omnes fere contubernales, breui eadem afficerentur; reliquis in vicinia ſaluis. Prodierunt varia ſub forma; nunc tanquam febres continuae acutae initium ſumentes, breui in intermittentes tertianas, ſemitertianas & quotidianas, ſemper vero irregulares, mutabantur; nunc ex intermittentibus continuae fiebant. Aliae, remittentes tantum erant, cum remiſſionibus itidem plane inordinatis. In omnibus ſymptomata, praeſertim tempore paroxyſmi, atrociſſima, vti: dolor capitis intenſiſſimus; calor tam inquam externus acutiſſimus; nauſeae; vomitus ſaburrae, pituitoſo-bilioſae variegatae, copioſiſſimae; dolores colici atrociſſimi; exanthemata

vrtica-

vrticaria & ſic porro. Fuerunt haud pauci, qui in ſecundo aut tertio paroxyſmo, lethargo affecti, in ſtatu rigoris, animam efflarunt. Quamprimum vero copiae noſtrae victorioſae, poſt pacem glorioſiſſimam ſancitam, ex prouinciis turcicis in Patriam redirent, jam nihil amplius de febribus hiſce quaſi peſtilentialibus, audiebatur.

EXPERIENTIAE.

I.

Prima peſtis eruptio, in Noſocomiis & domiciliis aëre humido, tepido & impuro ſqualentibus vbique contigit. In habitationibus melioris notae manifeſtata, ſine magno negotio ſuffocabatur.

Sic Jaſſiae & Chozimi in Noſocomiis ipſis; Moſcuae in hypocauſtis adminiſtrorum Noſocomii generalis, & manſionibus arctis operariorum magnae officinae pannorum, prima ſua initia ſumſit. Eccui vero ignota eſt, pauperculorum viuendi ratio? Degunt cumulatim in domunculis depreſſis, anguſtis, humidiuſculis; eſculenta & potulenta ſua, partim jam corrupta & fermentantia in iiſdem, vaporibus empyreumaticis obnubilati, apparant; quiſquilias raro euerrunt; illuuies varias, negligentius quaquauerſum profundunt; vt alias immundities ex infantibus & propriis excretionibus prouenientes, taceam. Mephitidi hinc productae aſſueti, de renouando aëre vix cogitant. Vti Jaſſiae, ſic etiam in Polonia, vbique fere inter Judaeos pauperiores, ſordide omnino & arcte, vti notum eſt, viventes, prima peſtis quaſi incubatio fiebat. Medici, qui Moſcuae, in officinam pannorum, ad examinandum infectos, repetitis vicibus mittebantur, de foetore in habitatiunculis operariorum, cui vix per aliquot minuta perferendo pares eſſent, conquerebantur.

E contra, etiam in ſummo vigore peſtis, nunquam auditum fuit, eam, in melioris notae, & amplioribus domibus, ſi forte irrepſerit, multum inualuiſſe, quin debita circumſpectione adhibita, ſine magna clade, breui exſtingueretur. Autumno anni MDCCLXX. Generalis locum tenens Plemennikow, venia ab exercitu proficiſcendi impetrata, in vrbem Ruſſicam, Sewsk, vbi Coniux eum praeſtolabatur, aduenit. Veroſimiliter domeſtici eius res qualeſcunque infectas ſecum aſportauerant; nam paucis tranſactis diebus, nonnulli eorum, peſtis criteriis inſigniti emoriebantur; cautelis tamen rigoroſis effectum fuit, quod vix amplius propagaretur. Simile exemplum, in hiſtoria peſtis Moſcuenſis, ſupra attuli. Menſe Auguſti anni MDCCLXXI. hic Petropoli, ſera nocte in domum Secretarii, dirigentis Senatus, primarii Kamarow, accerſor, qui intremiſcens mihi exponit, ſeruum, qui res varias, ex praedio eius, inter Moſcuam & vrbem Twer ſito, allatas, receperat, ipſa hac veſperi, improuiſo oppreſſum fuiſſe morbo, hanc ob cauſſam praeprimis ei ſuſpecto, quod peſtem in viciniam praedii huius ex Moſcua importatam fuiſſe, audiuiſſet. Reuera, praeter ſigna reliqua haud aequiuoca, bubonem ſubaxillarem offendo; ſudorifero vero confeſtim propinato, febris jam altero mane, vna cum caeteris ſymptomatibus grauioribus perfecte diſparuit, buboque ipſe, diebus proxime inſequentibus, ope maturantium, in ſuppurationem redactus & inciſus, conſolidationem breui admiſit. Quia cautiones, quas ordinaui, a domino valde perterrefacto exactiſſime in effectum ducerentur, nec minimum infectionis vlterioris indicium appareret, haud conſultum duxi, de facto hoc, conſternationem maximam excitaturo, ſummo Regimini denunciare; nec alia veſtigia peſtis in Metropoli hac, poſtea ſeſe mihi obtulerunt.

II.

II.

Febrem petechialem in principio plerumque mentitur; nec ſigna ſua pathognomonica illico prodit.

Chozimi, vbi nullus morbus epidemicus regnauit, derepente XV. milites, febre petechiali implicantur, ex quorum numero duo tantum bubonibus inſigniti erant. Jaſſiae, in Noſocomio militari, & valetudinariis legionum, menſe Januarii, febres petechiales in initio ſimplices, criteriis peſtis non niſi ſucceſſiue prorumpentibus, inualuerunt. Idem Moſcuae in aedibus operariorum Noſocomii generalis euenit, nam in primis aegrotis maculae tantum animaduerſae fuerunt. Conuenientia haec maxima cum febre petechiali, & quod bubones & carbunculi in paucioribus duntaxat (ex aliis cauſſis quomodocunque deriuandi) mox adeſſent, reluctantes illos decepit Medicos, & ex hac diagnoſi falſa, quae illos poſtea in pertinaciſſimam negationem peſtis rapuit, lerna illa malorum prouenit. Sic, Jaſſiae, Kiouiae & Moſcuae lues incipiens, febris ſolum petechialis, aut malignae putridae nomine, a vulgo incredulo inſigniebatur, perſuaſumque ſibi habuit, peſtem, ſi quae adeſſet, contagio celerrimo, & mortalitate actutum ſumma ſeſe diſtinguere debere.

III.

In plebem inprimis furorem ſuum exercuit peſtis; ex melioris vero conditionis hominibus, pauciſſimi reſpectu reliquorum corripiebantur.

Experientia haec, vti in aliis peſtibus, ſic etiam in hiſce conſtantiſſima fuit. Dum in initio menſis Maii MDCCLXX. Jaſſiam aduenio, ex Praefectis militum, Chirurgis & Proceribus Moldauiae, vix

quiſquam adhuc deſiderabatur, quamuis lues jam per tres menſes vagata fuerit: abhinc vero plurimi ea opprimebantur. Immunitatis huius praerogatiua, praecautionibus bonis minime tribuenda, quae nullae fere, imo peruerſae erant. Eadem felicitas quoque Kiouiae & Moſcuae contigit; nam in poſtrema hac ciuitate, ex nobili proſapia, vtut numeroſa, toto tempore peſtis, X. tantum perſonas, lue ipſa occubuiſſe, innotuit. Nec, in mercatorum potiſſimorum, vel aliorum lautioris fortunae familiis, multae neces obſeruabantur. Medici omnes ſalui reſtarunt, quod jure mireris, dum maxima eorum pars, peſtiferos tam infectos quam mortuos, in domiciliis ipſis indies luſtrare debebat. Ex Chirurgorum quidem coetu, quatuor peſte defungebantur, ſed de ſingulis cauſae infectionis & mortis, ex erratis craſſiſſimis ſat notae erant.

IV.

Ex variis infectionis cauſſis occaſionalibus, reliquis frequentiores & efficaciores ſequentes obſeruatae ſunt. 1) Arctum & inconſultum cum peſtiferis conſortium. 2) Contrectatio rerum miaſmate imbutarum, praeſertim a perflatione aëris, praecluſarum. 3) Balnea, & omnes vapores tepidi. 4) Pinguedines ranceſcentes multum tractatae, vel in eſcam adhibitae. 5) Grauiora in regimine vitae errata, & animi pathemata.

1) Dum plebs indocilis omnes praecautiones reſpueret, & ſani cum infectis in iiſdem domiciliis, aëre corrupto impletis, reſtarent; imo ſaepiſſime vnà dormirent, & a contactu intimiore quocunque, minime ſibi cauerent: mirum ſane non erat, quod ſeminia peſtifera, ex vno in reliquos cohabitantes plerumque omnes tranſirent, & numerus domorum penitus emortuarum Moſcuae, vſque ad tria millia excreſceret.

Negari

Negari quidem non poteſt, multas quoque alias cauſſas, praeprimis moerorem, in tam lugubri rei domeſticae ſtatu, ſummum, ſymbolam quoque ſuam contuliſſe; hoc tamen luculentiſſime apparuit, familias prudentiores, cautelas praeſcriptas, praeſertim quoad ſeparationem infectorum, rite obſeruantes, ab vlteriore luis propagatione immunes manſiſſe.

2) Pelles & coria animalium, lana, goſſypium, ſericum, linteum & omnes, quocunque modo ex illis res fabricatae, ſuſceptioni miaſmatis, vti notiſſimum, obnoxia ſunt; hoc tamen non ita ſimpliciter ſumendum eſt, quaſi omnia talia ſupellectilia, quae contagio patuerunt, eidem propagando, aeque idonea ſint. Nam, ſi hoc foret, infectio breuiſſimo temporis interuallo, generalis euadere deberet, quod tamen experientiae refragatur *). Nemo vnquam credat, res tales quamuis maxime ſuſpectas, plane deteſtari, & intactas relinqui; e contra tunc lucri cupido maxima inter plebeios cernitur. Si haeredes legitimi jam deſunt, vndique aduolant alii, qui furtim, raptim, & non raro violentia, nedum a ſumme vigilante Magiſtratu ſemper cohibenda, adhibita, domos eiusmodi emortuas expilant, praedasque ſuas, vili pretio diuendentes, longe lateque diſpergunt. Neceſſe itaque eſt, vt res hae inquinatae, non omnes indiſcriminatim, ſed ſub certis duntaxat reſtrictionibus, contagium efficax diſſeminare valeant; quae vti obſeruationes inter ſe collatae me docuerunt, ſub duo haec capita comprehendi poſſunt: 1) Si res infectae, a corpore vivo adhuc calentes, praeſertim exhalationibus peſtiferi contaminatae, aliis ſanis intimius applicentur, aut 2) complicatae, compactae & ſecluſae, a perflatione aëris, per aliquod temporis ſpatium remotae fuerint. Quia de priori infectionis occaſione, tanquam euidentiſſima nulla dubitatio reſtare poteſt, poſteriorem ſolum, exem-

*) Conſtantinopoli, omnia ſuppellectilia peſte defunctorum, ſine vllo metu, a haeredibus, in vſum vertuntur, diuenduntur, & quouis modo diſtrahuntur.

exemplis aliquot illuſtrabo. Dum Jaſſiae inter peſtiferos moror, & infectos adductos ſcrupuloſe erogito, quo cauſſas infectionis expiſcarer, ſemper fere eo res redit, vt vel ipſi confiterentur, vel per alias euinceretur, eos, ex domibus emortuis, aut eccleſiis male cuſtoditis, in quas ciues opulentiores, ob peſtem aliunde effugientes, bona ſua ſcriniis recondita, cumulatim repoſuerunt, varia veſtimenta & ſcruta ſericea, xylina, lintea &c. furtim abſtuliſſe; hinc immediate poſt euolutionem eorum, ex humiditate occluſa mucidorum, omnes, quotquot in conſortio fuerint, peſte multabantur. Autumno anni MDCCLXXI. XVIII. Coſaci, lares ſuos reuiſendi gratia, ab exercitu dimiſſi, in quadrageſimam (quarantaine) limitropham Waſi kow, ſani adueniunt. Attulit vnus eorum, ſarcinam colligatam, qua, vt euentilatio fieret, euoluta, peſtis ſtatim eum, & quosdam ſocios, adoriebatur, cautelis tamen exactiſſimis breui reſtinguebatur contagium: vt plura alia exempla taceam, quibus indubie conſtitit, ſeminia peſtis, per res antea innoxie tractatas, in loca valde diſſita aduecta fuiſſe, quamuis in itinere, nullum infectionis veſtigium ſeſe manifeſtauerit. Vere anni MDCCLXXI. peſtis Kiouiae, quae jam in initio hyemis exſtincta fuit, iterum, attamen ſine multa clade, prorupit, quia milites nonnulli praeſidiatii, ſcruta varia, quae lue autumno praecedente flagrante, in terra recondita fuerunt, effoderint. A magno viro, relatum accepi, Coſacum quendam, in praeterito bello turcico, ex ſpoliatione Oczakowiae, vbi peſtis tunc temporis ſaeuiit, praedam, qua potitus fuit, bene conuolutam, domum attuliſſe, & ciſtae incluſam ita abſcondidiſſe, vt nec vxori, nec propriis filiis, per totos ſeptem annos, de ea vel minimum innoteſceret. Poſt mortem vero eius, ex theſauro fatali inuento, tota familia, ex octo perſonis conſtans, cum ſignis peſtis haud aequiuocis, breui exſtincta fuit. Quod miaſma etiam leuiſſimum, in cellis & aliis aedibus fornicatis, perflationi aëris vix patentibus, actiuum & quaſi exaltatum reddatur, multa euicerunt phaenomena. Moſcuae, Archiuae Collegiorum & Dicaſteriorum,

rum, quae omnes facile fornicatae, & minime perflabiles ſunt, permultis ſcribis, chartas ſcriptorias in iis peruoluentibus, internecinae euaſerunt. Mercatorum plurimi, tam Jaſſiae, quam Moſcuae, quorum tabernae fornicatae in ipſo luis vigore clauſae erant, remittente eius furore, illas intrantes, & merces manibus volutantes, improuiſò quaſi, inficiebantur. In Congreſſu pacis Fockſchanenſi, cellarius aulicus, cellae vinariae fornicatae, ex officio multùm immorans, ſignis peſtis pathognomonicis afficiebatur, dum multi alii, febribus aliis malignis quaſi peſtilentialibus, ſed ſine his decumberent.

Imo metalla quaedam rubiginem admittentia, contagio recipiendo, & ad communicationem efficaci reddendo, apta viſa ſunt. Jaſſiae, a multis fide dignis aſſeuerabatur, peſtem duobus annis priorem, ex Conſtantinopoli in Gallatz, per ferrum illatam fuiſſe, nam primus inficiebatur mercator, & immediate pòſt, reliqui qui illud manibus tractauerant. Quod peſtis per monetas cupreas & argenteas multum propagetur, in conuicto erat, nec a vulgo, quamtumuis incredulo, in dubium vocabatur. Vidi, puerum Moldauienſem, confeſtim ardorem in vola manus percipientem, & peſte correptum, poſtquam monetulam turcicam ex argento & multo cupro conflatam, a Zingaro quodam recepiſſet. Chirurgus quidam Moſcuae, rubliones quoſdam, ex manibus mercatoris infecti calentes, pro honorario accipiens, illico peſte, (ex qua quoque obiit) affectus, inſuper nonnullos ex familia ſua polluit.

3) Noxa a balneis, non ſolum ob affluxum hominum in publicis, ſed etiam a priuatis, euidentiſſima vbique fuit. Jaſſiae, tempore peſtis, vtut illa ament incolae, experientia ſat edocti, nemo illis vti audet. Moſcuae, jam menſe Martii, balnea publica claudèbantur; at, ſub finem menſis Junii, cum peſtis jam exſtincta crederetur, iterum aperiebantur. Quia vero breui abhinc, indicia peſtis recrudeſcentis haud obſcura, occurrerent, de nouo prohibebantur; nec defuerunt, qui iteratam hanc apparitionem, balneis hiſce tribuerent. Nam permulti ope-

rariorum ex officina magna pannorum, hucuſque detenti, nunc vero libertatem nacti, per totam vagabantur ciuitatem, & ſe in balneis, reliquis immiſcuerunt. Ex Noſocomio peſtilentiali Simeonenſe, octo adminiſtri, in balneo vicino particulari lauabantur, immediate vero, vnus poſt alterum correpti, interierunt. Simile fatum tres Chirurgiae tirones eidem Noſocomio inſeruientes, experiebantur, qui ſe ſecuros credebant, quod loco aquae acetum, ad aſpergendos lapides incaleſactos, adhiberent; nam omnes victimae mortis euaſerunt. Fabri ferrarii, qui ferrum candeſcens exſtinguendo, & ſoleis ſere ignitis vngulis equorum applicando, vapores multum inhalant, prae reliquis cladem acceperunt ingentem, ita vt ceſſante Moſcuae peſte, ob defectum eorum fere totalem, aliunde accerſendi eſſent. Idem Moldauiae, Kiouiae & aliis locis obſeruatum fuit. De coquis res erat notiſſima, quod vbique inter primos deſiderarentur. Praefecti militum, in regionibus infectis verſantes, ſi non alios ſeruos, certe coquos perdiderunt. Ex comitatu Principis Orlow, Moſcuae, duo itidem coqui in Noſocomium peſtilentiale transportari debebant, quamuis reliqui fere omnes ſalui perſiſterent; & in Congreſſu pacis Fockſchanenſi, coquus primarius ex bubone crurali aegre conualuit. Praefectus quidam militum, dum in caſtris prope Jaſſiam locatis, igni aſſidet, vbi cibus militum coquebatur, & vapores ex aheno, vti dicebat, penetrantiſſimos, naribus excepit, eo ipſo momento, peſtem grauiſſimam contraxit. Matrona quaedam Moſcuenſis, quae aliàs magna vtebatur circumſpectione, nullaque prorſus indicia contagii in domo habuit, coëmta materia quadam lanea (flanell dicta), quae ob ſenſationem vnguinoſam ei ſuſpecta videbatur, ancillae vt excoquat tradit. Haec vero, coctione vix peracta peſte corripitur, & poſt paucos dies obiit; infantemque dominae quoque infecit.

4) Quod infima plebs, peſti praeprimis obnoxia ſit, haud poſtremam rationem in eo poſitam crediderim, quod rarius carnibus vel

piſci-

piſcibus recentibus, ſed jam ſemicorruptis *), vti lardo, carnibus ſalitis & piſcibus talibus, foetorem euidenter rancidum ſpirantibus, cui tamen fere aſſueti ſunt, veſcantur, & olea praeſertim lini plerumque ranceſcentia, in vſum trahant. Hoc quoque multum facit, quod eſculenta ſua, in ipſis domunculis ſuis coquant, aſſent, & aliis modis praeparent, quae hanc ob cauſſam vaporibus inſueto fere intolerabilibus nunquam fere carent; dum e contra, in opulentioribus omnia contraria obtinent. Sed, etiam in hiſce peſtibus, ſat clare apparuit, opifices omnes, quibus cum animali pinguedine res eſt, vtut candelarios, ſaponarios, coriarios, pelliones & ſic porro, multo crebrius ac reliquos, in peſtem incidiſſe; quo ipſo obſeruationes loimographorum autoptorum quorundam perbelle confirmantur.

5) Quanta pericula, regimen vitae inordinatum, & adhuc magis affectus animi grauiores, attulerint, imo peſtem plerumque acutiſſimam, improuiſò quaſi accerſerint, permultis exemplis ſat ſuperque comprobatum fuit, & quando de prophylaxi ſermo erit, uberius declarabitur.

V.

A peſtis inſultu immunes fere viſi ſunt: leucophlegmatici, cachectici, ſcabioſi, ſenes, & infantes lactentes. Obeſi vero & ceterum ſaniſſimi, multo copioſius inficiebantur, & difficilius emergere ſolebant, quam ſtrictiore corporis habitu praediti.

*) Memini me cum Praefecto quodam militum Jaſſiae vna prandidiſſe, qui cancris, quorum interiora, quia non admodum recentes erant, jam viriDeſcebant, auide veſcebatur, quamuis vt ab iis abſtineret, monerem. Hic, vix e menſa ſurgens, peſte acutiſſima correptus fuit, & non niſi aegre a periculo mortis liberari potuit.

In locis peſte vexatis, multos facie pallida & tumidiuſcula cernere licet, quos valetudinarios, imo in hydropem procliues crederes; nunquam vero mihi contigit, tales peſte affectos videre. Dum ſub finem anni MDCCLXX. in Jaſſiam reuertor, vidi barbitonſorem juuenem, qui per integros octo menſes, in Noſocomio peſtilentiali, officio ſuo indefeſſe functus erat, totum jam leucophlegmaticum & intumefactum; affirmans ſe & alios tam barbitonſores, quam adminiſtros, eodem modo deturpatos, nunc demum a peſtis inuaſionibus, quibus antea ſaepiuſcule obnoxii fuerunt, liberos effectos. Scabioſi quoque priuilegio immunitatis peculiari beari videbantur, ita vt nec ipſe viderim, nec ab aliis audiuerim, tales in peſtem incurriſſe. Chirurgus Aſchenlow, qui per annum fere integrum, in Noſocomio peſtilentiali immorabatur cachecticus, ſcabie inſuper humida vexabatur, puſtulis per varias corporis regiones, ſero acri pellucido plenis, continuo fere erumpentibus. Author ei fui, vt nihil plane, contra affectum hunc vtcunque ſibi moleſtum moliretur, & ſingulari omnino exemplo, nullis fere praecautionibus vtens, ſaluus & incolumis manſit. Maximam vero admirationem excitabant infantes tenelli, qui vbera matrum non ſolum ex peſte aegrotantium, ſed etiam jam exſtinctarum, impune ſugentes, toties inuenti fuerunt, & quorum numerus haud paruus, Moſcuae, quia Orphanotropheum clauſum erat, in domum peculiarem exceptus, feliciter ſeruabatur. Communis quoque obſeruatio fuit, pinguiores & caeterum optime valentes, inſultus peſtis multo frequentiores & grauiores pati, quam ſenes, macilentos, & multam pituitam eructantes.

VI.

Peſtem etiam repetitis vicibus in vno eodemque ſubiecto, recurrere, ſaepiuſcule obſeruatum fuit.

Euenit hoc praeprimis in iis, quibus, ratione officii cum peſtiferis continuo conuerſandum erat, vti medentibus, barbitonſoribus, admini-

miniſtris &c. & mature mediis conuenientibus ſuccurrebatur. Hi non ſolum de leuioris infectionis indiciis ſaepiſſime conquerebantur; ſed etiam ipſius peſtis adultae, febre nempe & ſignis eius pathognomonicis ſtipatae, aggreſſiones, plus vnica vice perpetiebantur. Jaſſiae, ex conualeſcentibus, quamuis a peſte decumbentibus ſeparate detentis, in recidiuas incurrerunt plurimi, in Noſocomium peſtilentiale iterum recipiendi. Chirurgus legionis pedeſtris Kiouienſis Kirchſtein, a peſte acuta grauiſſima, cum bubone crurali maximo (me praeſente inciſo) perfecte curatus, poſt diſceſſum meum ex Jaſſia iterato, bubone ex altero latere correptus, diem ſupremum obiit. Ipſe inſultus ſat determinatos, ter expertus fui, vti vberius infra narrabo. Fuerunt ex barbitonſoribus & adminiſtris, qui ter imo quartum peſtem ſuperarunt. Hoc apprime notabile fuit, quod ſymptomata in iis, qui repetito afficerentur, ſucceſſive leniora, & ipſi tandem leucophlegmatici facti, jam immunes fierent. Adminiſter miles, aetate prouectior, in Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi tertium bubone crurali inſignitus, non niſi febrem leuiſſimam, per ſudorifera prompte propulſandam, habuit, & exiguam a bubone moleſtiam haud curans, altero jam die ad munia ordinaria tanquam ſanus reuertebatur; maturatione interea quamuis tardius procurata.

VII.

Graſſabatur vere inprimis & autumno, eoque ſemper atrocius, ſi tempeſtas valde pluuioſa & tepidiuſcula continuaret. E contra, quamprimum conſtantior & ſiccior fieret, vento boreali vel euro-aquilone, inſimul regnantibus, etiam media aeſtate, ſi non penitus exſtingui, ſaltem multo mitior euadere ſolebat. Hyeme vero appropinquante, contagium ſenſim minuebatur, & cum frigoribus continuis ingruentibus, in totum delebatur.

Ex hiſtoriis peſtium ſupra traditis liquet, ſeminia peſtifera, tam in Jaſſiam quam Moſcuam ſero autumno importata fuiſſe; ob frigus vero hyemale inſequens haud praeualuiſſe. Quamprimum vero ver, vtrobique praeter modum humidum & tepidum inſtaret, tunc peſtis, hucuſque quaſi occultata, actutum prorupit, quod Jaſſiae menſe Februarii anni MDCCLXX. Moſcuae vero initio Martii MDCCLXXI. euenit. Eadem quoque anni conſtitutio, ſed multo iniquior & in longum protractacta, autumnis anni MDCCLXX. quo Kiouiae & MDCCLXXI. quo Moſcuae ſaeuiit lues, cum ſumma eius exaſperatione obtinuit. Phaenomena varia in hiſtoria peſtis Moſcuenſis jam notata, certe nihil aliud denotarunt, quam atmoſphaeram vaporibus copioſiſſimis ſaturatam fuiſſe. Quantum vero ſiccitas aëris contagio huic contrarietur, euidentiſſime exinde elucet, quod peſtis, calidiſſimis quamuis aeſtatis diebus, dummodo venti boreales vel euro-boreales flarent, confeſtim remitteret, pluviis redeuntibus mox recrudeſcens. Circa finem menſis Junii MDCCLXX. antequam ex Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi diſcederem, non niſi rarius, vnus alterue infectus introducebatur. Moſcuae eodem anni tempore exſtincta omnino credebatur. Quae in fortalitio Bendero graſſabatur peſtis, durante obſidione, menſe Julii, itidem euanuit, ſero demum autumno quaſi reſuſcitata. Quod frigus hyemale jam per ſe, deletioni miaſmatis opituletur, indubium eſt; aſt plenaria eius, & ſubitanea fere exſtinctio, tam Jaſſiae in initio menſis Januarii MDCCLXXI. quam Moſcuae in fine Decembris eiuſdem anni, tunc demum inſequebatur, quando procella euro-borealis, cum niue tenui vagante coniuncta, per plures dies haud interrupte continuauerit. Ea nempe venti huius natura eſt, vt impetu maximo, etiam per rimas ſubtiliſſimas penetret; quod in itineribus hyeme inſtitutis toties obſeruaui.

VIII.

VIII.

Obſeruationes quaedam confirmare videntur, aues & inſecta, peſtilentiae tempore, in locis ſumme infectis, parcius in conſpectum venire.

Jaſſiam prima vice aduenieus, horas ſubſeciuas, quas vindicare mihi licuit, pro inſigni, quo in entomologiam amore feror, tum quoque corpus exercendi cauſſa, deambulationibus in hortis vrbanis, dicaui; plane confidens, me in terra hac quoad naturae dotes feliciſſima, & aptiſſimo nunc aeſtatis tempore, meſſem vberrimam inſectorum facere poſſe. Aſt, quantum fallor! nam pauciſſima ſolum, eaque ex claſſe potiſſimum coleoptrorum hinc inde offendo; nec praeter muſcas & culices, aliaque vulgatiſſima, multa rariora occurrebant. Dum poſtea cum Generalis locum tenente de Stoffeln, extra vrbem, caſtra ſtatiua, in vinea vaſtiſſima Metropolitae Moldauienſis, locauimus, in primis diebus copia eorum inſigni potitus ſum, ſed paullo poſt, dum infectio etiam hic ſub dio, apud nos ſeſe manifeſtaret, in totum fere diſparuerunt. Poſt duos vero annos, Jaſſiam, eodem anni tempore, ſed felicioribus ſub auſpiciis, reſalutans, omnia inſectorum plena, vidi. Obſeruationem ſequentem, curioſam omnino, a Pharmacopola Moſcuenſi fide digno, teneo. A plurimis retro annis, formicae quaedam minores, in ea diſtributione loculamentorum, vbi ſyrupi aſſeruantur, quauis aeſtate continuo reptabant, & nulla vnquam arte exſtirpari potuerunt. Toto vero peſtis tempore nec vnica apparuit; inſequente autem anno de nouo aduentarunt. De auibus a plurimis narrabatur, quod minores cantatrices, caueis detentae, in domibus infectis emorerentur, imo quod mures & glires, quantumuis antea copioſi, diſparuerint; ſed de his fides apud relatores eſto. De maioribus vero, vtut, coruis, cornicibus, picis &c., hoc affirmare poſſum, multitudinem earum, quae aliàs Moſcuae maxima eſſe

eſſe ſolet, tunc multo minorem a me obſeruatam fuiſſe, ita vt non niſi hinc inde vnam alteramue tranſuolantem viderem.

IX.

Quamquam peſtis morbus ſumme epidemicus ſit; attamen ſporadice hinc inde ſaepe erumpit, nec contagio tam pernicioſo tunc pollet.

A Medicis graecis Jaſſiae relatum mihi fuit, peſtem Conſtantinopoli, nunquam fere in totum ceſſare; ſed nunc in hoc, nunc in alio ſuburbio, vel ciuitatis regione, ſine magna tamen contagii propagatione ſeſe exerere. Tunc vero exſtincta creditur, quando pauci tantum habitantium ex furore eius pereunt. In Moldauia, Wallachia & Crimaea, per totum fere belli tempus, vix totaliter defuit, quin hinc inde, quamvis rarioribus interdum interuallis, praeſertim in Noſocomiis militaribus ſeſe manifeſtauerit. Anno MDCCLXXII. menſe Junii Jaſſiae, in domo, quam Generalis Bawer inhabitauit, quidam ex incolis peſte ipſa breui emoriebatur; imo ipſe Generalis, mox febre corripiebatur acutiſſima vere peſtilentiali, at in ipſo initio per ſudorifera deuicta fuit. Sic, (vt ſupra mentionem feci) in oppido Fockſchiany, cellarius aulicus ex comitatu Principis Orlow, bubone crurali inſignitus, quinto morbi die exſpirauit, & coquus primarius ex eodem morbo conualuit; in reliquis vero quamplurimis, febre peſtilentiali affectis, ſigna pathognomonica nunquam prodierunt. Similem ſtatum ſporadicum peſtis, vbique tam inter incolas, quam copias noſtras obtinere, a plurimis Medicis & Chirurgis tunc comperui. Hoc quoque ſingulare eſt, quod peſtis haec ſolitaria, miaſmate multo dilutiore, nec tam communicatiuo gaudeat; hinc tantum ab ea jam non timendum eſt periculum, niſi in domiciliis arctis, impuris, noſocomiis, carceribus &c. de nouo quaſi exaltetur.

X.

X.

Ubi peſtis non niſi ſporadice propullulat, febres malignae graviſſimae quaſi peſtilentiales erumpere ſolent, quae contagio proprio ſat efficaci, non tantum in viciniam, ſed etiam locos ſat remotos ſe diffundunt.

Febres malignas, periculo plenas, Conſtantinopoli, inter ſporadicas peſtis eruptiones, quando furor eius deferbuerit, graſſari, & a Turcis, magis fere quam peſtem ipſam reformidari, plurimi teſtes oculares mihi aſſeuerarunt. Conſimiles omnino febres, in copiis noſtris, poſt peſtem pacatam, multum inualuerunt, & cladem inſignem intulerunt. In comitatu Principis Orlow, dum haud procul ab oppido Fockſchiany caſtris immoramur, quamplurimi iiſdem afficiebantur. Plerumque tanquam febres acutae, horripilationibus leuioribus, aeſtu & doloribus capitis intenſiſſimis, initium ſumebant, quibus delirium vel prima jam die, vel in aliis ſerius ſuperuenit, & nunc typum continuae ſeruabant, ſaepiſſimo vero, die morbi tertia vel quarta remittentes, & interdum manifeſte intermittentes, paroxyſmis valde irregulariter recurrentibus, fiebant. Saepe quoque exanthemata purpuracea vel vrticaria erumpebant. Reliqua ſymptomata vti in acutis grauioribus. Sudoriferis, ſtatim in principio exhibitis facile ſuperabantur; qui vero tardius opem medicam implorarunt, ſalibus mediis, acidis mineralibus, & cortice peruuiano uſurpatis, quamuis longius proceſſerit morbus, ſat feliciter tamen conualuerunt. Etiam febres illas intermittentes & remittentes atrociſſimas, quae aeſtatibus annorum MDCCLXXIV. & MDCCLXXV, Moſcuae tantopere graſſabantur, per peregrinatores ab exercitibus inuectas fuiſſe, vti communis, ita ſumme veroſimilis opinio fuit. Eadem quoque fuit epidemia, quae autumno anni MDCCLXXI in vrbe Niſchni Nowogorod vocata, in perniciem multorum ſaeuiit, quametſi

ſigna characteriſtica peſtis defuerint; vti ex relatione Chirurgi Pell, in curiam medicam Moſcuenſem tranſmiſſa, abunde patet.

XI.

In furore peſtis, epidemiae aliae ſilent; imo peſtis aliis morbis acutis, quaſi improuiſò ſeſe adiungere ſolet.

Qui Jaſſiae & Moſcuae, immediate ante peſtis inuaſionem, ſat populariter graſſabantur morbi epidemici, breui ita diſparuerunt, vt de iis nihil jam audiretur. Si vero contingeret, quemquam febre alia opprimi, vix tamen a peſtis criteriis, nunc citius nunc ſerius prorumpentibus, tutus fuit. In Noſocomiis tam Jaſſienſi quam Moſcuenſi militaribus, vix non quotidie aegrotantium nonnulli peſte corripiebantur, de quibus hucuſque nulla omnino ſuſpicio infectionis erat, nec unde provenerat contagium, diuinari poterat; reliquis tamen, inter quos ſubinde per plurimos dies decumberent, immunibus reſtitantibus.

XII.

Affectus morboſi leuiores ſequentes, tempore peſtis valde communes erant: furunculi; grauedines faucium; dolores rheumatici in variis corporis regionibus; ſenſus grauativus in iis locis, vbi dudum apoſtemata, vulnera vel bubones ſedes ſuas habuerunt; ſtranguriae; pollutiones nocturnae inſolitae; exanthemata vrticaria; puſtulae lympha acri ſcatentes; ſudores & excoriationes digitorum pedis; vrinae profunde coloratae, & in nonnullis cum ſedimento multo lateritio.

Indiſpoſitiones haſce, tam Jaſſiae, quam Moſcuae, in vigore peſtis frequentiſſimas obſeruaui; quamuis nec conſtitutio anni, viuendi ratio, vel aliae cauſſae euidentes, eas tam copioſe producere poterant, & ceſſante imo jam deuigeſcente lue prorſus exulabant. Patientes, quoad reliqua fere ſani, vel ad minimum haud periculoſe aegrotantes, nullis omnino criteriis peſtis ipſiſſimae notabantur, etſi nonnulli poſtmodum, in eam implicarentur. Furunculi inprimis in junioribus & robuſtis, caeterum integra fruentibus valetudine, praeter morem copioſi, & diuerſae magnitudinis, varias corporis partes obſidebant. Diſficillime in ſuppurationem perfectam abibant, ſed plerumque tanquam anthraces, nucleis duriuſculis albis praediti, non niſi poſt eorum extractionem, conſolidationem admittebant. Coryzae, tuſſes, grauedines faucium, & rheumatiſmi varii, permultos infeſtabant, quamuis nulli adhuc frigores adeſſent. Dolores grauatiuos, (Calendaria vulgo nuncupata) omnes nunc patiebantur, qui cicatricibus amplioribus, ex praegreſſa antehac ſuppuratione largiori, inſigniti erant. Vidi Jaſſiae, mercatorem graecum, qui de hoc ſenſu, ſibi valde moleſto, ſub axilla dextra, vbi ante plures annos Conſtantinopoli degens, bubonem peſtilentem habuerit, multum conquerebatur. Ardores vrinae in multis nunc excitabantur, & ſaepe aggreſſionem peſtis propinquam annunciarunt. De pollutionibus nocturnis inſolitis, quid nempe portenderent? non ſolum a junioribus, ſed etiam aetate prouectioribus, quaeſtiones frequentes mouebantur. Exanthemata miliaria & vrticaria, in congreſſu pacis Fockſchianenſi, ſat vulgaria erant, peſte non procul a nobis in duobus pagis vagante. Puſtulae prurientes, & excoriationes inter digitos pedis, in plebeiis occurrebant. Sudores pedum largi & viſcoſi, quamplurimos nunc infeſtabant, quamuis aliàs iis vix obnoxii fuiſſent. De haemorrhoidibus hoc certum erat, omnes iis obnoxios, etiam qui jam dudum ab iis liberati fuerint, nunc grauiores & ſumme dolorificas ca-

rum intumeſcentias pati. Multi vtut ſani videbantur, vrinas craſſas hypoſtaticas excernebant, nulla praeterea ſentientes incommoda.

XIII.

Exſtinctionem vel ſaltem remiſſionem peſtis praeſagiebant: variolae; febres intermittentes, praeprimis quartanae, & leucophlegmatiae.

Incolae Moldauiae longam praetexentes experientiam, in Turcia quoque, vt aiunt, conſtantiſſimam, peſtilentiae tempore, variolas auide praeſtolantur, certamque ſpem fouent, luem poſt earum apparitionem ſtatim finiri. Opportune accidit, vt inter captiuos Tartaros, ex quibus nonnulli peſte decumbebant, etiam puellam VIII. circiter annorum, variolis diſcretis, haud periculoſe aegrotantem, animaduerterem. Diebus quoque inſequentibus, furor peſtis notabiliter remiſit, ita vb ſub finem menſis Junii ſporadica facta, non niſi rarius propullularet. Certe, toto graſſationis tempore Jaſſiae, in totum defuerunt variolae, & Moſcuae, vbi endemicae quaſi, nullo non anni tempore, ſaltem hinc inde exſtare ſolent, ex relationibus Medicorum & Chirurgorum, quas Collegio Sanitatis quauis hebdomade, tradiderunt, obſeruatio haec iterum confirmata fuit. Nam in fine demum Decembris MDCCLXXI. dum peſtis jam deuigeſceret, variolarum hucuſque abſentium, tandem mentio facta fuit. Tertianae, magis vero quartanae, ambobus in locis, in declinatione peſtis copioſe prouenerunt. Leucophlegmatia quoque affectus, permultos tunc cernere licuit, praeſertim conualeſcentes, vel qui plus ſimplici vice peſtem perpeſſi erant.

XIV.

Peſtis a reliquis morbis diſcernitur, eo, quod ſumme contagioſa, pernicioſiſſima, bubonibuſque, carbunculis & exanthematibus variis, ſingulatim aut coniunctim, ſtipata ſit.

Exacta mali huius truculentiſſimi determinatio, maximi momenti, & maioris certe neceſſitatis eſt, quam credi facile poterit. Nam, dum ex errore in diagnoſi alius cuiuscunque morbi, vtut contagioſi & periculoſi, non niſi pauciorum vita periclitari ſolet, hic e contra incolumitas maximarum ciuitatum & prouinciarum ſaepiſſime ſubuertitur. Teſtantur hoc hiſtoriae omnium fere peſtium; nec recentiſſimis Jaſſienſi & Moſcuenſi exceptis. Plerumque enim quando peſtis in magnas vrbes irreptat, neſcio, quo infauſto omine, ex Medicis ipſis nonnulli, factionis negatiuae anteſignani fiunt; quouſque poſſunt, praeſentiam peſtis abſolute inficiantur, & tanquam pro aris & focis dimicantes, nihil intentatum relinquunt, quo omnes in ſententiam ſuam tam lethiferam trahant; aſſenſum apud Magnates multos & ciues opulentiores eo facilius obtinentes, quod quiuis ſemper lugubria quaeuis deteſtetur. Tandem rebus ad incitas redactis, pleniſſime conuicti, nullam aliam excuſationem tantae obſtinationis reddere poſſunt, quam, quia peſtem ipſi nunquam viderint, eam a febribus petechialibus diſcernere non valuerint. Verum quidem eſt, quod frequentiſſimi peſtium typi, faciem febrium malignarum, quoad plurima ſymptomata, ſaltem imperfecte, prae ſe ferant; aſt vnicuique ſolertius examinanti Medico, diſcrepantia illa ſumma in principalioribus, oculos ferire debet, dummodo ad ſequentia rite attenderit. 1) Nulla vnquam febris maligna, tam actiuo & ſubtili, quaquauerſum ſumma facilitate ſeſe diſpergente pollet miaſmate, (quod non ſolum proximos, ſed etiam remotiſſimos, ſi media transfe-

rendi ſuppeditantur, cito & quaſi improuiſò adoritur) ac peſtis. 2) Decurſus plerumque celerrimus, & ſtrages fere vniuerſalis, eam perniciosiſſimam omnium morborum, nulli febri epidemicae, quamuis aliàs periculoſiſſimae comparandam, efficiunt. 3) Bubones, carbunculi & maculae ſingulares, ab omni aeuo, pro ſignis pathognomonicis optimo jure habita, ſiue ſingulatim aut coniunctim prodeant, omne de praeſentia ipſiſſimae peſtis dubium tollere debent. Nec obſtat, quod in febribus malignis, ſimiles quodammodo eruptiones ſubinde occurrant; circumſtantiae namque reliquae toto coelo differunt. Maculae petechiales paruae & diſcretae ſunt; in peſte vero copioſiores, latiores & ſubinde confluentes, inſignes ecchymoſes & tandem carbunculos ſiccos formant. Citior denique earum apparitio & mortes vniuerſales fere, peſtem, etiam ſi bubones & carbunculi nondum ſeſe manifeſtauerint, ad minimum ſuſpicari ſinunt. Metaſtaſes, quae in declinatione febrium malignarum ex deriuatione materiae peccantis, ad parotides praeprimis & glandulas ſubmaxillares ſubinde fiunt, (nam ſubaxillares, inguinales vel crurales glandulas, in hoc ſtatu, affectas, nunquam mihi videre contigit) a bubonibus peſtilentialibus jam hoc ipſo differunt, quod communiter tanquam criſes imperfectae, ſalutem aegris promittant; dum e contra hi, jam in initio morbi prorumpentes, in omni promiſcue glandula, occurrunt; nec remiſſionem ſed exaſperationem ſymptomatum, euentu plerumque lethali, producunt. Idem fere de carbunculis valet, qui praeterea a tumoribus gangraenoſis, ſubinde in febribus quoque malignis obſeruatis, quoad omnia diſcrepant, vti ex deſcriptione eorum infra tradenda patebit. Caeterum bubones peſtilentes a venereis, cum quibus in principio peſtis haud raro confundi ſolent, ſolo jam ſitu, in vtroque caſu diuerſiſſimo, diſtinguere facile eſt. Nam venerei ſemper in inguinibus ipſis; peſtilentes vero rariſſime ibi, ſed communiter in regione anteriore ſuperiore cruris, duos vel tres digitos tranſuerſos ſub commiſſura inguinis, ſedes ſuas figunt.

Signa

Signa pathognomonica peſtis, bubones puta, carbunculi & exanthemata, rarius inſimul in vno eodemque peſtifero, omnia, proueniunt. Plerumque, in prima eius vt ita dicam, incubatione, non niſi maculae apparent, mox vero bubones praeſertim crurales, aut ſoli, aut vna cum carbunculis (quae itidem ſolitarii ſaepe ſunt) luem characterizant, ita vt in vigore & declinatione eius, maculae jam rarius obſeruentur.

Quandocunque itaque Medico, in inſpectione aegrorum vel mortuorum demandata, criteria ſupra nominata ſeſe offerunt: tunc ſine haeſitatione peſtem adeſſe, magiſtratui denunciare poteſt & debet, hocque eo confidentius, ſi ſuſpicio, contagii, ex regione alia infecta, traducti, probabilis adeſt; aliàs culpam propagationis mali huius terribilis, niſi obices validiſſimae ponantur, preſſo pede inſequentis, in ſe, & quidem merito, admiſſurus.

Quae in fine peſtium, vt plurimum occurrere ſolent febres mali moris, ſic dictae peſtilentiales (exper. X.), pro peſte ipſiſſima haberi neutiquam debent, quamuis, contagio, ſymptomatis, crebris mortibus, imo exanthematis, ſpeciem eius praebeant; niſi bubones & carbunculi, tanquam ſigna pathognomonica praecipua, inſimul comparuerint.

Reſtat, vt paucis me expediam, cur, in determinatione peſtis, inter notas eius eſſentiales, *febrem* omiſerim? ad quam tamen, tanquam genus ſuum, ab omnibus fere ſcriptoribus relata fuerit. Adeſt ſane febris, cum ſuis ſymptomatis, in maxima parte peſtiferorum, dum jam decumbunt, & quidem in peſte lenta, acuta & acutiſſima, mox deſcribendis; attamen ex numeroſis obſeruationibus enata reflexio, me plenarie conuicit, febrem ad eſſentiam eius haud pertinere, quia in permultis, ea lue jam indubie affectis, exulat, vel ſaltem morbi & mortis comes indiuiduus vix nuncupari poteſt. Sic, in periodo infectionis, per ſtigmata luculentiſſima miaſmatis efficacis ſat notata, nulla adhuc febris

bris adeſt. Omnes, qui peſte acutiſſima corripiuntur, ſine vllis febris futurae ſignis praegreſſis, illico in lernam ſymptomatum atrociſſimorum, a febrilibus alienis, delabuntur; breui de vita migraturi, niſi promtiſſime iis ſuccurratur; quos tamen febre laboraſſe, quis dixerit? hac ſolum ex cauſſa, quod pulſus tunc frequentiſſime feriat. Nam eodem jure, etiam breuiſſimos morbi decurſus eorum, qui ex venenis acrioribus, vel vaporibus carbonum exſtinguantur, ad claſſem febrium referre neceſſe erit, cum quibus caeterum, ſpecies haec peſtis, maximam ſimilitudinem habet.

Quod peſtis etiam ſine febre, ſaltem luculenta, frequenter jugulet, ſequentes obſeruationes comprobare valent.

Breui ante aduentum meum Jaſſiae, duo milites, ad horreum quoddam in ſuburbio, vbi veſtimenta poſt demortuos ex peſte, aſſeruabantur, excubias agentes, de vi contagii minime ſolliciti, aceruo huic indormierunt, & poſt paucas horas mortui inuenti fuerunt.

Dum quodam die verſus vesſperam, Monaſterium a ſancto Spiridone cognominatum, peto, vt peſtiferos ibi detentos pro more viſitarem, offendi Subofficialem robuſtum, in platea juxta domum quandam ſcamno inſidentem, & cum alio milite confabulantem. Quia femoralia praeter conſuetudinem ſoluta vidi, infectum illico ſuſpicabar; hinc nolentem quamuis examinans, nulla plane febris indicia, bubonem vero inſignem in crure dextro inueni. Noſocomium peſtilentiale ingreſſus, ſtatim miſi, qui infectum hunc accerſerent, quo remedia adminiſtrare poſſem; aſt vix adductus inopinatò exſpirauit.

Nec inſolitum erat, tam Jaſſiae quam Moſcuae, deambulantes, vel munia quaecunque perficientes, in viis vel alibi, derepente mortuos concidere; quos, ad extremum vſque halitum, tanto robore praeditos, febricitaſſe, haud veroſimile eſt.

Huc quoque phaenomenon illud plane ſingulare, in Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi, a me toties obſeruatum, pertinet. Aegrotos

nempe

nempe peſtiferos pro more viſitans, communiter plures paucioresue conualeſcentes, inſigni ſemper cum laetitia, inuenio. Febris cum ſymptomatis pacata & pulſus regularis; qui nuper delirabant, nunc mentis compotes facti, ad omnia rite reſpondebant; lectis inſidentes, vultu hilari, Deo gratias pro liberatione agebant; imo cibos efflagitabant, & ſe quoad omnia melius habere aſſeuerabant. Sed nunquam de omnibus hiſce ſecurus eſſe potui, quin vnus alterue horum eodem adhuc die, vel nocte inſequente, inopinato ad plures migraret. Mors illis tam placida & inexſpectata fuit, vt quamplurimi inter manducandum, ſine recidiuae vel minimis indiciis, animam efflarent.

XV.

Quantumuis facies peſtis valde diuerſa ſit; omnes tamen eius variationes, ſub ſequentibus IV. capitibus comprehendi poſſunt. 1) *Periodus infectionis*, in qua, reliquarum ſpecierum plerumque praecurſoria, omnes, ſignis peſtis indubiis affecti, ſed nondum febricitantes, verſantur. 2) *Peſtis lenta*, quae periodum infectionis, praeſertim longius protractam communiter excipit, & tum lenitate ſymptomatum apparente, tum decurſu longiore, febres malignas, inprimis petechiales aemulatur. 3) *Peſtis acuta*, ſine infectionis longioris mora incipiens, typum febris ſimplicis acutae imitatur. 4) *Peſtis acutiſſima*; vehementia ſymptomatum ſumma, tum etiam decurſu citiſſimo & anomalo, a reliquis facillime diſtinguenda.

Nulla vnquam aegritudo, tam variabili forma ludit, ac haec omnium diriſſima; vt non immerito, epitheto Protei ſalutetur. Sub larua namque leuiſſimae indiſpoſitionis, jam reformidandae, nunc febrem

malignam, nunc ardentem, vel alium denique periculoſiſſimum morbum, mentitur. Decurſum ſubinde citiſſimum, plerumque vero, praeſertim ſi periodus infectionis, in nonnullis per plures ſeptimanas protracta, computetur, ſat longum habet; quoad cauſſas tamen, notas characteriſticas & terminationem ſemper idem. Jaſſiam proficiſcens, in ea ſententia firmiter ſtabam, peſtem, nihil aliud, quam febrem malignam putridiſſimam, eſſe, nec aliam, praelectiones Praeceptoris Schreiberi, loimographorum certe non infimi, & lectio authorum, mihi ſuppeditare potuerunt. Quantùm vero obſtupui! dum illico poſt aduentum, non ſimplicem morbum, ſed typos vnius eiuſdemque luis diuerſiſſimos, & ſibi vix aſſimilandos, animaduerterem. Nam, multos, bubonibus & carbunculis inſignitos, ſanorum inſtar obambulare, & munia ſua obire *); alios, febre quaſi maligna, ſine ſymptomatis admodum grauibus, jam per plures dies continuante, decumbere vidi; dum alii iterum, multum intenſius, tanquam ſynocho ſimplici febricitantes, breuiori interuallo, aut emorerentur, aut conualeſcerent; nonnulli denique ex improuiſo adorti, poſt perpeſſa ſymptomata atrociſſima, quam ocyſſime e viuis diſcedebant. Diſcrepantia haec maxima & inexſpectata, incitauit me, vt omni ſtudio & attentione, in naturam mali huius terribilis explorandam, incumberem; certo perſuaſus, methodum medendi, ſi quae rationalis inuenienda, in omnibus hiſce, tam immenſum variantibus typis, minime eandem inſtituendam eſſe. Ex obſeruationibus

*) In conuentu Medicorum & Chirurgorum, quem ipſo aduentus mei in Jaſſiam die, inſtitui, quidam, duos ex praeſentibus, peſte affectos eſſe, jocando quaſi, indigitabant; Chirurgum nempe Rosberg, & Prouiſorem Fuchs, quamuis caeterum bona mente eſſent, & ſe ſaniſſimos ſimularent. Dum inſpectionem vrgerem, in priori maculam magnam nigram in pede extremo, & glandulam ſubmaxillarem intumeſcentem, in altero vero bubonem incipientem cruralem, offendi. Nihilominus, hic, VIII. adhuc dies; ille vero, vltra tres ſeptimanas, in eodem ſtatu perſeuerarunt, donec in peſtem ipſam, febre & reliqua caterua ſymptomatum ſtipatam, implicarentur.

bus itaque, quarum tunc vberrima meſſis erat, quotidie factis, natura ipſa viam monſtrante, hanc peſtis diuiſionem mente concepi, & jam die XIII. Junii, in breui illa deſcriptione peſtis, quam Protomedico L. B. Aſchio, in exercitum magnum tranſmiſi, propoſui; hoc ſolum cum diſcrimine, quod peſtem lentam ab acuta, tunc adhuc non penitus diſtinguerem. Sententiam hanc meam corroborarunt deinceps, non ſolum obſeruationes propriae poſteriores Jaſſiae praeprimis, & poſtmodum Moſcuae quoque, ſed etiam vnanimis, ſaltem tacitus conſenſus omnium Medentium, qui Moſcuae, tam in ciuitate, quam Noſocomiis peſtiferos viſitarunt. Nam quamuis in ſchediaſmate meo, tunc ſupremo juſſu, ruſtico idiomate diuulgato, publice prouocati fuerint, vt, ſi quid experientiae minus conſentaneum, in illo obſeruarent, vel ipſi meliora inuenirent, ſine mora, Collegio ſanitatis referrent; imo mandato injunctum erat, vt quiſque eorum, quauis hebdomade, obſeruata ſua communicaret; ex tanto tamen numero nec vnicus exſtitit, qui aliquid in contrariam partem attulerit.

Si quid ergo, experientia tam multiplex in ſtabilienda veritate, valet, plene confido, diuiſionem hanc meam peſtis, vti in natura ipſa fundatam (neutiquam vero fictitiam) non tantum ſtabilem, ſed etiam haud paruae vtilitatis iis futuram, quibus in poſterum lugubris occaſio ſeſe obtulerit, peſtiferis opem ferre, & doctrinam hucuſque mancam, ad majorem perfectionis gradum prouehere.

Non quidem negauerim, typos quoſdam valde irregulares, & ex vna alteraue ſpecie, quaſi compoſitos ſubinde occurrere; aſt facili negotio, a quouis in arte exercitato, ad proximam, cum quo maximam habent ſimilitudinem, & conſequenter eandem fere methodum medendi expoſcunt, reduci poſſunt.

XVI.

Contagii debilioris in periodo infectionis, intra corpus admiſſi, & jam irretiti, haec ſigna ſunt: dolores, in partibus glanduloſis & muſculis maioribus punctorii, momentanei & inordinate redeuntes; ardores vrinae; ad ſomnum procliuitas; vnguen cutis, praeprimis in facie & manibus, ſuperabundans; ſegnities alui; excrementa copioſa, pulpoſa, viſcoſa; grauitas corporis; laſſitudo inſolita; defectiones animi. Intumeſcentia glandulae cuiuſcunque parum dolorifica, & maculae atrorubentes vel fuſcae, grauioris infectionis gradum; vti deprauatio guſtus & lentor ſaliuae; anorexia; albedo & ſpurcities linguae, & cephalalgia, tranſitum in vnam alteramuè ſpeciem peſtis imminentem, indigitant. Haec omnia, & quidem ſubinde ſat diu, ſine febre contingunt.

Dolores &c. Phaenomenon hoc ſingulare, in initio tantum periodi infectionis occurrere ſolet. Senſationes, a doloribus hiſce, interdum tanta acutie pollent, vt clamores extorqueant. Velocitate ſumma varias corporis partes peruolant, & eodem fere momento, ac in glandula e. g. ſubaxillari ſentiuntur, etiam in muſculis, deltoide, pectorali maiore, dorſalibus, & glandulis inguinalibus quaſi acu pungunt, hoc ipſo, concuſſionibus, quae a machina electrica producuntur, quodammodo comparandi. Interdum in glandula vna alteraue ſolitarii recurrunt. In quibuſdam crebro, in aliis rarius proſiliunt, homineſque quoad caetera ſani, reliquis affectionibus hucuſque nondum obnoxii ſunt; his vero irruentibus, dolores hi fugaces ceſſant.

Ardores vrinae. Symptoma hoc, in quampluribus infectis obſeruatum fuit, qui de meiendi difficultate querulantes, & remedia poſcentes, ſuſpicionem infectionis haud fallentem, eo prodiderunt.

Ad ſomnum procliuitas. Fuerunt, qui non contenti nocturna quiete, etiam de die qua data occaſione, obdormierunt, quamuis expergefacti ſe ſanos ſimularent. Nonnulli plane comatoſi fiebant: tales plerumque in peſtem acutiſſimam prouoluebantur.

Unguen cutis, aliàs in ſtatu ſano, vix in ſenſus cadens, nunc ſuperficiem corporis, glabritie viſcoſa, aquam reſpuente, ſuperueſtit. Praeſertim in manibus & facie, tum magis conſpicuus eſt, tum quoque magis excerni videtur. Tempore peſtis, non raro tales in conſpectum veniunt, quibus facies tanquam butyro vel oleo illinita reſplendet, & de hiſce, quod infecti ſint, certo tunc concludi poteſt.

Segnities alui. Inſeparabilis, quantum noui, infectionis ſequela, in plenariam conſtipationem, vna cum ingreſſu febris tranſiens.

Excrementa. Dum circa Noſocomium peſtilentiale, forte in loca inciderem, vbi adminiſtri peſtiferorum & reliqui ſeſe exonerare ſolebant, non parum miratus ſum, quod non aceruos excrementorum coctorum, vti in caſtris ſat viſui ſe offerunt, ſed ſolum tumulos minores, conſiſtentiae ſemiliquidae quaſi pituitoſae, offenderem. Nec foetor extraordinarius nares feriebat, quamuis media aeſtate, ardente ſole, hoc exſpectare fas erat.

Grauitas corporis &c. Eadem fere ratione, ac ante inſultum febrium malignarum plerumque contingere ſolet, infectorum multi, jacturam virium manifeſtam nunc patiuntur. Agilitas conſueta torpeſcit, quamuis ſe ſanos ſimulare conentur, & negotia ſua ſaltem perfunctorie expediant. Haud raro, de pondere membrorum, quaſi plumbea facta fuerint, queritulantur, hinc ex quocunque exercitio difficiliore, laſſitudine afficiuntur. Ferunt Jaſſiae, qui praeſertim calore meridiano aeſtuante,

ante, ex deliquio animi in plateis conciderent, ad ſe tamen breui redierunt. Alii vertiginoſi & ſumme debiles fiebant.

Intumeſcentia glandularum. Plerumque ea glandula, quae dolores praedictos punctorios prae reliquis perpeſſa fuit, ſenſim plus minusue dureſcit & intumeſcit. Senſus in initio tam obtuſus eſt, vt niſi germina haec bubonum, vel partes vicinae rudius contrectantur, vix multum doleant. Multos bubonibus hiſce naſcentibus, & jam haud paruis cruralibus obnoxios, ſat recte deambulantes toties vidi. Ipſe, per totum temporis ſpatium, quo Jaſſiae peſtiferis interfui, tumorem glandulae cruralis dextrae, nucem auellanam magnitudine nunc aequantem, nunc excedentem, & infectionis maiorem vel minorem gradum barometri inſtar indigitantem, geſtaui. Rudimenta haec bubonum, hucuſque mobilia omnino ſunt, nullis inflammationis ſignis apparentibus.

Maculae. Pars nempe quaecunque corporis derepente, maculis varii coloris & amplitudinis, quaſi a vi externa ſugillata fuerit, contaminatur. Sine vllo doloris ſenſu oriuntur, & ſaepe per totam infectionis periodum, in eodem ſtatu perſiſtunt. Cutis externa breui inſenſibilis, ſicca & rugoſa quaſi fit. Niſi mature reſoluantur, in carbunculum ſiccum, plerumque lethalem, abeunt.

Deprauatio guſtus. Ex ſano nempe, ſucceſſiue vel etiam promiſcue, ſubdulcis, ſulſus, faſtidioſus & amareſcens fit, vti in me ipſo per tot vices obſeruaui. Multi, mutationum harum, rationem accuratam haud habentes, non niſi amaritiei valde moleſtae, mentionem faciunt. Saliua & reliqui oris humores, in ſtatu naturali limpidi, inſipidi & deglutitioni deſtinati, nunc craſſi, viſcoſi, albeſcentes, ſpumeſcentes & ingrato ſapore praediti, non amplius in ventriculum protruduntur, ſed tanquam inutiles, imo noxii, ipſius naturae nutu, excreantur. Ipſi infecti tunc, guſtus ſenſum hunc valde ingratum, cum viſcoſitate coniunctum, quaſi paſtam farinoſam, in ore volutarent, exprimere ſolent. In haud paucis ſputa flaueſcentia vidi.

Ano-

Anorexia. Quamprimum guſtus oris vitiatur, etiam ciborum faſtidium, quamuis adhuc vix totale, incipit. Nauſea haud leuis, infectos ſaepe moleſtat; nunquam vero in hac periodo infectionis, vomitum inſecutum fuiſſe, vidi. Sunt quoque, non vno infectionis criterio notati, qui cibos ſat bene appetunt, dum alii non niſi coacte alimenta ſumunt.

Albedo & ſpurcities linguae. Alteratio linguae, in nullo morbo tam ſubitanea & notabilis exiſtit, ac in peſte. Non ſemel in me ipſo, ſubſidio ſpeculi, mutationes ſequentes, diſtincte obſeruaui. Extremitates papillarum, quae in ſtatu ſano rubentes, humidae & tenues ſunt, infectione jam in febrem properante, gradatim intumeſcere, & in molem inſignem excreſcere incipiunt. Capita earum, pedunculis elongatis inſidentia, fungos ſat bene referunt. Pituita tenax, & ſaepe luteſcens, linguam tunc obſidet. Mox capita haec, in villos vel fila innumera reſoluuntur *), quae praeſertim in dorſo linguae valde elongata, longitudinem lineae ſaepe ſuperant, & tunc omni ſenſu carent, adeo vt forcipe vel vnguibus comprehenſa & preſſa, nullam plane ſenſationem dolorificam excitent. Fila haec in initio alba, ſenſim vero brunneo & fuſco colore induuntur; hinc lingua praeprimis verſus radicem eius, quaſi nigra apparet. Quamprimum febris, vel ex ſudoribus in principio, vel per inſecutam ſuppurationem bubonum & carbunculorum in morbo adulto, exſtinguitur, commutatio linguae, eadem ratione, & quidem ſat cito retro procedit. Villi namque elongati, ex nigreſcentibus albi fiunt, celerrimeque decreſcentes, in capitula jam laete rubeſcentia & humidiuſcula ſubſident, quae tandem ſenſim minora facta, in ſtatum naturalem rediguntur. Initium purificationis, in marginibus & apice fit, reliquae vero

*) Similem roſolutionem papillarum, tam linguae, quam apicum digitorum, in filamenta tenuia longa, per diuturnam macerationem, Anatomici ſagaciores produxerunt.

vero partes adiacentes, ſucceſſiue munditiem priſtinam, vna cum colore, madore & guſtu naturali, acquirunt. In corpore & ſulcis, vltimum ſemper luſtramen peragitur. In hac ſpecie contaminationis linguae, moles eius ſenſibiliter augetur, & intumeſcit. Alia quoque albedo, telae inſtar aranearum tenuis, ſine notabili protuberantia, vel villoſitate papillarum, & ſenſu quodam conſtrictorio, obuenit. Illa, in periodo infectionis & peſte acuta familiaris, non tam mali ominis, ac haec, peſtis lentae, & ſubinde acutiſſimae comes, eſſe ſolet.

Cephalalgia. Dolores capitis, haud acuti adhuc, ſed aggrauantes ſolum, & per interualla in totum deſinentes, ſpe perquam fallaci, quaſi nullius momenti eſſent, vel ex aliis cauſſis, animo facile fingendis proueniant, infectis imponere ſolent.

Omnia haec ſymptomata *) in aliis plura, in aliis pauciora occurrunt. Nec omnes ex leuiori infectione, in peſtem ipſam incidunt, ſed vel naturae robuſtioris beneficio, vel exercitio corporis & cautelis debitis in vſum vocatis, ſine omni medicatione perfecte reſtituuntur. Si vero, medicina apta cum regimine adminiſtratur, tutius ſane & celerius negotium ſuccedit. Aliter vero ſe res habet, ſi jam ſigna infectionis grauioris, intumeſcentia puta glandularum & maculae adſunt; tales enim indubie in peſtem lentam, & ſubinde acutiſſimam delabuntur, niſi tempeſtiua medela, periculum praepediuerit. Periodus haec infectionis, variae omnino durationis eſt. Ante peſtis acutae inſultum, interdum vix per paucas horas ſentitur, & ſaepiſſime plane exulat; e contra, ſi per plures dies vel ſeptimanas perduret, peſtem lentam vel acutiſſimam praeſagit.

*) Accidentia illa, quae in locis peſte vexatis, multos quoad caetera ſanos afficiunt, de quibus in experientia XII. egi, cum hiſce minime confundenda ſunt.

XVII.

Miaſma peſtilens, vtut forte & crebro ſuſceptum, non raro per perſpirationem inſenſibilem, ſine omni medicatione vltro excernitur. Si vero ſedem in corpore jam figerit, per ſigna ſua (exper. praec.) ſe prodens: tunc non niſi ſudoribus, per exercitium corporis, vel media diaphoretica, mature & ſufficienter elicitis, perfecte eliminari poteſt. Contra ſymptomata maxime vrgentia, remedia cuique conuenientia cum fructu adhibita fuerunt.

Admirationem certe mouet, qui fiat? quod miaſma hoc, aliàs plus quam communicatiuum & efficax, multos, vi quamuis ejus fortiſſimae continuo expoſitos, non niſi per longiora interualla, quoſdam vero vix ac ne vix quidem, afficiat. Quiſnam credat? Medicos, Chirurgos, Sacerdotes, barbitonſores, aegrorum adminiſtros & veſpillones, quibus in Noſocomiis peſtilentialibus, haud interruptum cum peſtiferis tam viuis quam mortuis negotium fuit, vel vnicam diem, a periculo tanto incolumes reſtitaſſe. Et nihilominus palam erat, hos ipſos, & rarius quam exſpectari poterat infici, & ſi inficerentur, ſat facile e vadis emergere. Accidit, vt quodam mane Noſocomium intrans, adminiſtrum in eo ipſo lecto dormientem offenderim, ex quo de nocte mortuum remouerat, & hoc quidem ſine vlla noxa ſaltem mox inſequente. Audacia impunis veſpillonum, praeſertim Moldauienſium, in oſtentationem temerariam degenerauit. Chirurgi & barbitonſores, per maximam diei partem, inciſiones, ſcarificationes & deligationes perficientes, impedire nequaquam potuerunt, quin manus eorum, pure, ſanie & ſanguine ex contactu inſtrumentorum & faſciarum inquinarentur; vt de applicatione emplaſtrorum, cataplaſmatum, pulſus exploratione &c. nudis digitis peragendis, nihil dicam. Neceſſe itaque eſt, vt, contagio huic

corpora indubie intranti, ſed haud irretito, exitus continuus liberrimus patuerit; quem, non niſi per perſpirationem inſenſibilem naturam robuſtiorem molitam fuiſſe, ecquis non videt?

Quantum motiones corporis, ad miaſma e corpore eliminandum valeant, ex ſequentibus obſeruationibus eluceſcet. Circa finem menſis Maii MDCCLXX. dum peſtis adhuc ſummo cum vigore fureret, reliquiae quinque legionum, quae hucuſque Jaſſiae in praeſidio locatae fuerant, ex mandato illuſtriſſimi Polemarchi, verſus exercitum magnum ducebantur. Narrarunt mihi poſtea Praefecti militum & Chirurgi, tanquam rem valde memorabilem, milites, prima itineris die, ob inſuetam & extraordinariam plane laſſitudinem ſeſe manifeſtantem, caſtra ſtatiua pro nocturna quiete deſignata, non niſi aegre attingere potuiſſe, ſed ſudoribus diffluentes, poſt breuiores progreſſus, reſpiramenta intermedia efflagitaſſe. Laſſitudo haec altero jam die minor, tertio vix obſeruabilis fuit. Ex cohorte hac, primo itineris die, duo, & altero vnicus tantum in noſocomium peſtilentiale retromittebatur; poſtea nullum amplius veſtigium infectionis apparuit, quamuis haud ita pridem ex eorum medio, vſque ad viginti quotidie introducti fuerint, & plus quam veroſimile erat, eos, permultas res infectas, ex ciuitate ſumme peſtifera & confuſionis plena ſecum aſportaſſe. Simillima omnino ratione, peſtis, in cohortibus ex Wallachia tendentibus, nullis cautelis, quamdiu in loco reſtabant, exſtinguenda, ſed e contra quotidie latius ſerpens, caſtris motis, miraculi inſtar diſparuit. Ipſe, indicia infectionis ſaepiſſime perſentiens, ſummum in eo praeſidium locaui, vt omnes horas ſubſeciuas in excurſiones impenderem, herbaſque & inſecta per hortos, campos & montes vicinos colligens, oborto leui ſudore, ſemper animo & corpore recreatus reuertebar. Dum verſus finem menſis Nouembris, eiuſdem anni, victrices copiae, hybernandi cauſſa, Moldauiam repeterent, & illuſtriſſimus Polemarchus Jaſſiam, quamuis peſtis in eadem adhuc ſporadice hinc inde proſiliret, pro hybernaculo proprio elegerit,

euenit

euenit, vt breui poſt aduentum noſtrum, contagium, in manipulo praeſertim vno; legionis pedeſtris Korinsky, celerrimos progreſſus faceret. Suaſi, vt manipulus hic confeſtim educeretur, & per duas ſeptimanas, ſtadia militibus conſueta, in regione circumjacente quotidie emetiretur; hocque tanto cum ſucceſſu effectum fuit, vt milites omnes, nec vnico deſiderato, peſte inter eos mox euaneſcente, poſt praeſcriptum temporis interuallum, ſaniſſimi in hybernacula ſua redirent.

Quamtetſi Moſcuae, in Palatio Imperiali, in perplurimis ex comitatu amplo, ſigna haud aequiuoca infectionis ſaepiſſime ſeſe manifeſtarent; vis tamen contagii ſemper exercitio frequenti *) omnibus demandato ita frangebatur, vt raro ad remedia confugere opus eſſet. Nam quotidie, tam extra vrbem, quam in vaſtiſſimo horto Imperiali, deambulationes frequentes inſtituimus, vel ſi hoc per tempeſtatem non liceret, ludis variis, (e. g. billard, volant &c.) corpora exercuimus, donec perſpiratio ſufficiens & laſſitudo incipiens, de fine motionibus imponenda, moneret.

Quod denique exercitium corporis, vna cum regimine ad ſudores diſponente, in periodo infectionis vtramque abſoluat paginam, exempla ſequentia apprime memorabilia, & teſtimoniis omni fide dignis confirmata, extra omnem dubii aleam poſuerunt. Adminiſtratores oeconomiae, vnus Comitis Alexii Orlow, alter vero Cubicularii Imperialis Balck, vterque, pagis magnis & populoſis, a Moſcua haud procul diſſitis, praefectus, de vtilitate ſudorum in periodo infectionis, ex ſcheda impreſſa & diuulgata, edocti, quamprimum ſigna infectionis in ruſticis animaduerterent, exercitia corporis varia illico imperarunt, & ſi aegri moroſiores nollent, vel jam debiliores vix poſſent, tunc a ſanis

L 2 per

*) Apud Rhaſen legitur, contigiſſe in quadam peſte, vt dum omnes fere perirent, ſoli venatores ob ſummam valetudinem, aſſiduis exercitationibus partam, incolumes euaſerint. Mercurialis de arte gymnaſtica, lib. IV, cap. XV.

per ſufficiens temporis ſpatium circumduci, & mox ad ſudandum componi curarunt; regimine & mediis ibidem indicatis ſimpliciſſimis domeſticis in vſum vocatis, eo certe cum ſucceſſu fere inſperato, vt omnes facile infecti, priſtinam ſanitatem breui recuperarent, & eo ipſo propagationi luis obices ſufficientes ponerentur.

Fuerunt tamen pauciores, in quibus ſudores, etiam poſt motiones validas inſtitutas; ſiue ex idioſyncraſia peculiari, vel ex aliis cauſſis, vix ac ne vix quidem protrudebantur *). Hiſce, remediis mox indigitandis conſulebatur.

Quia exercitia corporis, non a cuiuſcunque conditionis, ſexus & aetatis, infecto, vel ob alias circumſtantias, in ipſo primordio mali, ſufficienter inſtitui poterant: imo plerumque ex inſcitia, incuria vel moroſitate quaſi de induſtria negligebantur; malum quoque antequam de medela cogitaretur, jam altiores figerit radices, quam quod per motiones ſolas profligatum iri, exſpectari poſſet: varia ad diaphoreſin obtinendam, in vſum trahebantur, media tam domeſtica, quam pharmaceutica, ex quibus omnibus potiora ſolum, & quae conſtanti fere ſucceſſu ſeſe commendarunt, nunc recenſenda erunt.

In ſcheda, a Collegio ſanitatis, in ipſa eius inſtitutione, vndique diſperſa, inter reliqua praeſcriptum erat, vt plebeii inprimis, quamprimum ſigna infectionis animaduerterent, poſt exercitium corporis inſtitutum, ſine mora quieti ſe traderent, & ſufficienter contecti, aquam, aceto, vel ſucco baccarum oxycoccos, ad gratum vſque acorem ei admixtis, aut pro re nata, infuſum florum chamomillae vel herbae abrotani, repetitis hauſtibus, calide eouſque, potarent, donec ſudor ſufficiens erumperet, & cum euphoria ſat continuaret. Summa cum laetitia quotidie comperiebamur, media haec, vti palato plebis accommodata, & vbique viliſſimo pretio comparabilia ſimpliciſſima, ſucceſſu ſperato

*) In omnibus qui atonia ventriculi laborant, ſudores difficillime mouentur.

rato haud fruſtrata fuiſſe, adeo vt innumeri e periculo mortis liberarentur, & diminutio luis immediate inſequens, hiſce quoque mediis domeſticis, magnam quoad partem tribui potuerit.

Principi Orlow, & multis tunc cohabitantibus familiare fuit, quando alterationem quandam ſanitatis ſuſpectam ſentirent, cubitum ituri, vaſcula theana aliquot, notiſſimi potulenti, Punſch dicti, in lecto haurire, & ſic lodicibus ſeſe operientes, ſudores propulſare; eo ſane felici cum euentu, vt altero mane cum ſanitate in gratiam redeuntes, de remedio hoc, pharmaceuticis omnino gratiore, gloriarentur.

Aliis arriſit vinum meracum aqua dilutum, ſacharo & aromatibus parca manu admixtis, eadem ratione, & eodem cum ſucceſſu vſurpare *).

Etiam tunc mos obtinuit, juſcula vel carnes, allio leuiter condire, quod virtute ſtomachica & diaphoretica ſeſe quoque commendauit.

Ad ſudores vero tutius & efficacius mouendos, praeſertim quando ab hucuſque deſcriptis mediis, effectus optatus vix ſperandus eſſet: mihi ſemper inſtar omnium fuit, Spiritus Diatrion, communiter *Mix-*

*) Pro certo in hiſce peſtibus conſtitit, quod liquores ſpirituoſi, proportione modica & ſaepiuſcule ſumti (minime vero ad ebrietatem vſque ingurgitati) tantum abeſt, vt in infectione leuiore nocuiſſent, quin tonum ventriculi & totius corporis labefactatum reſtituendo, & perſpirationem promouendo, emolumenta euidentiſſima produxerint. In noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi, adminiſtris, barbitonſoribus & reliquis, ſimulac ex ſymptomatibus primordialibus male habere coeperunt, portiones cremati frumenti ordinarias, reiterato porrigere juſſi, & plerumque ſine vlteriore medicatione, ad conſueta opera, extemplo alacriores factos, vidi. Quamprimum vero malum jam inualuerit, cane & angue pejus fugiendi ſunt; nam omnes fere potatores ſtrenui, peſtis demum victimae certiſſimae fiebant. Eapropter vſus eorum caute admodum concedendus eſt; inſuetis vero, vel calidioris conſtitutionis infectis, melius omnino interdicendus erit; praeſertim dum tot alia ſtomachica & diaphoretica innocentiora, ſuppetunt.

tura ſimplex dictus; ita vt nunquam neceſſe habuerim, alia medicamenta ſiue ſimplicia ſiue compoſita, quorum in materia medica tam ingens farrago exſtat, in vſum vocare; & ex quorum cenſu alia tanquam calidiora & valde ſtimulantia reformidaui, multa vero tanquam incerta imo ſuſpecta ſpreui. Sancte aſſeuerare poſſum, medicamentum hoc jam fere exoletum, & in plurimis Pharmacopoeis nouiſſimis vix inueniendum, quo a multis retro annis vſus ſum, conſtantiſſimo ſuo & innoxio operandi modo, exſpectationi meae ſemper optime ſatisfeciſſe. Huic praeprimis fretus pharmaco, inter peſtiferos ſine formidine verſatus ſum, & inſultus luis teterrimae, in primis eius incunabulis, Summo adiuuante Numine, toties feliciſſime eluſi. In excitandis ſudoribus hac ratione procedere ſolebam. Infecto veſtibus exuto, & ad quietem in lecto, ſi eius copia erat, compoſito, LXXX. vſque ad CXX. (pro varia conſtitutione aegroti, & vehementia inſultus) guttae, mixturae ſimplicis rectificatae, in vaſculum infuſo theae dilutiore, vel alio ex vegetabilibus vi diaphoretica praeditis parato, quin etiam ſaepiſſime aqua ſimplici calida vel acidulata, ad quantitatem circiter vnciae impletum, inſtillabantur, & portione exhauſta, potus talis tepidus, ſucceſſiue ſuperbibendus, exhibebatur, aegrotuſque ſtragulis vel veſtimentis ſufficientibus probe contegebatur. Si poſt vnam vel alteram horam, nulla vel exigua tantum diapnoë inſequeretur, tunc citior eius eruptio, haud parum juvabatur, ſi caput, quamdiu ferre potuerunt aegroti, ſub velamentis, reſpiratione tamen libera ſeruata, reconderent, & potum praedictum acidulatum, ſaepiuſcule tepide biberent, vſque quo ſudores prorumperent, & ad plenariam vſque mitigationem ſymptomatum profluerent *). Tunc, integu-

*) Sudores, cum euphoria proruptaros, praenunciabant: ructus frequentiores; calor per totam ſuperficiem corporis aequalis; pulſus mollis & plenus; humores oris limpidiores facti, & ſic porro; vti e contra, anxietates; ſiccitas vel viſcoſitas oris; frigoris externa ſenſatio; pulſus debilis, exilis, ſaepe intermittens, & demum mador aquoſus, in ſuperioribus tantum regionibus, vtpote capite, collo & pectore, irritum imo noxium.

integumenta ſenſim remouendo, ſudationi, ex conditione pulſus & reliquorum ſignorum, jam moderandae, finis imponebatur. Permutatio vero linteorum, ante plenariam exſiccationem, & per mappas tepidiuſculas, ſi praeſto erant, abſterſionem ſordium, vix concedebatur; ſolliciteque, ab aëre frigidiuſculo, nunc valde nocituro cauebatur. Plerumque ſomnus ſat tranquillus, operationem hanc ſudatiuam concomitabatur, & infecti poſt requiem debitam, alacres & vt ſibi videbantur, ſi vnquam ſaniſſimi, e lecto ſurgere ſolebant. Quando vero euenit, vt, ſudor aut nullus, aut ſaltem inſufficiens, prouocari potuerit, vel affectiones in ſubleuatis recrudeſcerent, tunc poſt paucarum horarum intervallum, eadem doſis, iiſdemque cum cautelis reiterabatur, donec integra inſequens valetudo, omnem reliquam curationem ſuperfluam redderet. Sudores hi, vt plurimum copioſiſſimi, odorem ſingularem, quem vulgo acidum vocare ſolent, ſpirant, & tanta viſcoſitate praediti ſunt, vt ſordes craſſas, ſurfuribus vel floccis, ex atro albeſcentibus comparandas, & a corpore ſub exſiccatione facile abſtergendas, poſt ſe relinquerent. Poſt ſudores largiores, ſuperficies corporis, quae hucuſque ex vnguine cutis ſuperabundante, glutinoſa tangebatur, glaberrima fit, apiceſque digitorum, quaſi ex ſpiritu vini tractato, rugoſi & valde ſenſibiles euadunt. Vtut vero profuſi interdum fuerint, nunquam tamen colliquatiui ſiue debilitantes, in hoc ſtatu obſeruabantur. Nulla ab hac methodo, quamuis quodammodo coacta & violenta quaſi videatur, incommoda vidi; e contra, pulſus eleuatior, mollior, vix tamen ſemper concitatior factus *); reſpiratio libera; calor cutis naturalis rediens, &

noxium euentum indigitabant; quo in caſu, ab vlteriore prouocatione ſudorum illico abſtinebatur.

*) In nonnullis, quibus in periodo infectionis prouectiore, ſudorifera propinaui, ſub ipſis ſudoribus febris modica, cuius indicium praecipuum, pulſus celerior fuit, excitabatur, & per aliquot horas, vſque ad exſiccationem, perſtabat.

& quouis fere momento ex ceſſatione ſymptomatum alleuamentum increſcens, innocentiam ſudorum, hac ratione prolicitorum, euidentiſſime comprobarunt. Praeterea grauitas mali, media efficaciſſima exigentis; periculum in mora; conſtitutio aliàs ſana & robuſta infectorum, & ſucceſſus fere perpetuus, eam ab vlteriore taxatione, ni fallor, vindicabunt.

Quametſi diaphoreſis ſufficiens, in periodo infectionis auxilium certiſſimum praebeat, & omnes in ea occurrentes affectiones perfecte tollat: non tamen ſemper vacat, nec tam neceſſe eſt, ad eam illico recurrere, quia ſymptomata leuiora etiam ſine ſudoribus corrigi, vel ſaltem nimis reiteratae eorum prouocationes, ſine periculo differri poſſunt. Sic, *ardoribus vrinae,* tunc frequentibus, regimine antacido & abſorbentibus medebar. *Obſtructiones alui* pertinaces & quaſi habituales, eccoproticis, ſed leniſſimis, cum euphoria ſoluebantur. Habui in noſocomio peſtilentiali Subchirurgum nomine Bauer, qui hanc ob cauſſam vix non quotidie portiunculam pulueris radicis Rhei ſumere ſolebat, & diu a peſtis ipſius inſultu incolumis manſit; quamuis ex multiplici experientia in conuicto eſſet, laxantia tunc propinata fortiora, noxas irreparabiles nocuiſſe. *Amarities oris & viſcoſitas ſaliuae*, ſaepe improuiſo, praeſertim inter prandendum, vel poſt potum quemcunque calidiuſcule hauſtum, me prehendere ſolebat. Fortuito incidi in ſalem cryſtallinum, qui in Moldauiae montoſis effoditur, cuius fruſtulum, inſtinctu quodam peculiari, in ore diutius volutans, ſaliuamque copioſiorem deglutiens & guſtum & ſaliuae lentorem, mox emendatum animaduerti; hinc euporiſtum hoc, poſtea ſemper mecum portaui, mihi ipſi & aliis medio hoc ſimpliciſſimo ex optato ſuccurrens. Quando ob *ſubitaneas virium proſtrationes*, *dolores capitis vertiginoſos & defectiones animi,* prompta requirebatur medela, tunc nullum certe cordiacum, efficaciorem opem tulit, ac *ſpiritus nitri dulcis.* Animam quaſi linquentem refocillauit, vires vitae labentes erigebat, dolores capitis vertiginoſos egregie ſuſtulit,

vel

vel ad minimum ſubleuauit, imo *faſtidium ciborum & guſtum deprauatum* corrigebat. Tantam celebritatem, medicamentum hoc Jaſſiae ſibi conciliauit, vt permulti Praefecti militum, ex affectionibus denominatis male habentes, id a me auide & frequentiſſime expeterent, penumque meam breui exhaurirent fere. Guttas eius, XX-XL. ex vario vehiculo, plerumque aqua frigida, pro exigentia ſymptomatum aliquoties de die propinaui, tum quoque pro odoramento adhibui. Cum infuſo theae calido, vel alio conueniente liquido, ad noctem ſumtus, perſpirationem, imo ſudores, ſi diſpoſitio favorabilis adeſt, non tamen ita efficaciter ac mixtura ſimplex, mouet. Liquor anodynus mineralis Hoffmanni, & aceta varia fortiora, vel cum herbis aromaticis parata, e. g. variae compoſitiones ſpiritus aceti Ehrenreichii, acetum prophylacticum, roſarum, ſambuci, IV. furum &c. tanquam ſuccedanea ſpiritus nitri dulcis, tam in-quam externe in frequentiſſimo vſu erant. Haec melioris notae homines, aſſiduo odorari ſolebant, cum potu miſcebant, tum faciem, manus & regiones glandularum iis frequenter abſtergebant. Imo, quando infectio jam eouſque proceſſit, vt *glandulae intumeſcere* inciperent, tunc ſudoribus elicitis, fomenta, ex acetis talibus, cum tertia parte ſpiritus vini camphorati, parata, ſcopo reſoluente adhibebantur; noctu vero, emplaſtrum quoddam reſoluens, e. g de galbano, meliloti compoſitum &c. ſuperimponebatur. Etiam ad reſolutionem *macularum ampliſſimarum*, vna cum diaphoreſi promota, iiſdem fomentis ſemper feliciſſime vſus ſum, & phlogoſes, carbunculorum praecurſores non ſemel diſſipaui.

Methodus haec, peſtem in principio per ſudores curandi, vti antiquiſſima & innumeris obſeruationibus probata, ſic etiam ex mea experientia, corroborandam eſſe cenſeo. Nec parum boni exinde enaturum confido, ſi omnes in locis peſte afflictis habitantes, in indicia infectionis attenti, de certitudine periculi imminentis, & facilitate liberationis, certiores facti, mediis hiſce ſimpliciſſimis tempeſtiue vterentur.

Certe inſignem tunc numerum mortalium, hac ratione ſeruari, & ipſam peſtis exſtinctionem, accelerari poſſe, nullus dubito.

XVIII.

Periodus infectionis diutius perdurans, ſi nulla allata fuerit medela, in peſtem lentam plerumque abit. Infectus hucuſque febris expers, horroribus, vehementia & duratione in ſingulis valde diſcrepantibus, corripitur, quos excipit calor mediocris omnino, cum pulſu febrili, inaequali, vt plurimum debili, & ſaepe intermittente. Dolor capitis grauatiuus perpetuo affligit. Vrinae crudae, turbulentae ſine ſedimento; lingua inquinata madens; ſitis fere nulla; abiectio animi; aluus in primis morbi diebus adſtricta, cum inflatione hypochondriorum & borborygmis; abdomen vero tactu molle; nauſeae, & vomitus ſaburrae aeruginoſo-glutinoſae, in primis morbi diebus, ſed incertis interuallis redeunt; exanthemata, variae magnitudinis & coloris, in aliis citius, in reliquis tardius prorumpunt, non vero ſemper adſunt. Quae jam in periodo infectionis exoriebantur rudimenta bubonum & carbunculorum, in molem ampliorem, ſed ſine doloribus exceſſiuis ſenſim augentur, & noui in aliis locis ſuperueniunt; qui ſi die quinto, ſexto vel ſeptimo ſuppurantur, ſalutem aegris afferunt. E contra, ſuppuratio haud inſequens, & reliqua peſſimi praeſagii ſymptomata, vtpote, debilitas ſumma, diarrhoea & delirium mite,

certam

certam mortem, quae tamen interdum vltra decimum quartum diem differtur, indigitare ſolent.

Horrores. Vti in acceſſu febrium malignarum, ſic quoque in hac peſtis ſpecie initium morbi fit per pandiculationes, oſcitationes, horripilationes, imo haud raro tremores ſat validos, qui tam quoad vehementiam quam durationem, in vnoquoque fere ſubiecto diſſimiles ſunt. Vidi, quos rigor per X. integras horas vexauit, dum in aliis vix vnicam perdurauerit. Quo diutius aegrotus in periodo infectionis verſatus fuerit, eo vehementior & longior ſemper obſeruabatur.

Calor vix in vlla alia febre tam mitis obuenit; imo ſaepe in progreſſu morbi, ſaltem quoad externam corporis ſuperficiem, exulare videtur. Interea, ardor aeſtuans, quae ſub axillis, non ſolum ab aegrotis, ſed etiam adſtantibus ſentitur, clare oſtendit, calorem internum ſat intenſum eſſe.

Pulſus inconſtantia maxima hic obtinet, ita vt qui nuper plenus mollis & aequalis fuerit, breui in valde exilem, digitis vix explorandum, & ſic vice verſa, mutatur. Plerumque febrilis, at non admodum celer, imo ſubinde naturalis fere, ſemper tamen debilior reſpectu peſtis acutae obſeruatur. In haud paucis, a primis inde morbi diebus, intermiſſiones inordinate reuertentes, ictu arteriae vario numero deficiente, occurrunt.

Vires vitae. Debilitas & laſſitudo quaſi corporis, in ipſo jam morbi initio communiter tanta eſſe ſolet, vt non niſi tremebundi & flexis genubus, inſiſtere aut incedere valeant; imo proſtratio haec virium ſucceſſiue ingraueſcens, omnium reliquorum ſymptomatum periculoſiſſimum, & cauſſa mortis proxima fit. Sed & hoc reſpectu, anomalias luis huius ſingulares, toties admirari licuit. Generalis locum tenens de Stoffeln, primis morbi diebus, multo debilior fuit ac poſtea; nam ſeptima ab inſultu peſtis lentae die, & quinque ante mortem horis, tantope-

M 2 re

re viribus pollebat, vt mandata ad Praefectos ei ſubordinatos, & relationem ad Polemarchum, lecto inſideas, integra mentis acie & recte, vt ſolebat, ſcribae verbotenus dictare, & propria manu, quamuis jam tremebunda ſubſignare potuerit. Nunquam obliuiſcar militis cuiuſdam, in noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi, qui bubone crurali, carbunculo in antibrachio, & inſuper maculis per totum corpus copioſiſſimis, ita vt tunicae quoque albugineae oculorum, quaſi ex contuſione grauiore, nigreſcerent, deturpatus, nihilominus tanquam ſpectrum horrendum continuo obambulauit, & vix per diem in lecto contineri potuit, dum ex inciſione bubonis, haemorrhagia lenta & aegrius compeſcenda, inſequeretur. Poſt ſuppurationem bubonis & carbunculi inſtauratam, perfecte conualuit, & exanthemata ſenſim euanuerunt. Fuit etiam alius miles bubone crurali affectus, qui etſi febri & reliquis ſymptomatibus, mitioribus tamen, obnoxius eſſet; attamen per totum morbi decurſum, vſque ad integram reſtitutionem ſanitatis, lectum ſimiliter non niſi de nocte petebat. Repentina illa virium tam mentis quam corporis recuperatio, de qua in experientia XIV. mentionem feci, huc quoque pertinet. E contra, exempla plusquam numeroſa euicerunt, vires vitae ſat conſtantes, etiam in iuuenibus robuſtiſſimis ſubito concidiſſe, dum ex errore fatali, venaeſectio adminiſtrata, vel laxantia propinata fuerint. Caeterum proſtratio virium ſemper in iis maior & praecocior obſeruabatur, quibus, ſuperficies externa corporis, ſenſu magis frigido quam calido, praedita fuit, dum reliqui, calorem externum ſaltem naturalem ſeruantes, & fortiores reſtitarunt, & bubones carbunculique citius in ſuppurationem redigebantur.

Dolores capitis in peſte lenta, non tam vehementes ac in acuta ſunt, nec aegroti multum de iis conqueruntur; ſolummodo grauedinem, quaſi plumbum capiti infuſum eſſet, incuſant.

Vrinae. In paucis, quorum lotia mihi obſeruare contigit, nunquam vrinam coctam, ſed ſemper pallidiuſculam ſine ſedimento, nec claram, ſed turbidam & foetoris expertam vidi. *Lin-*

Lingua, quae jam in periodo infectionis inquinata fuit, nunc vna cum morbo ingraueſcente, de die in diem impurior fit, colore ſordide albeſcente, luteſcente vel liueſcente praedita; hoc tamen cum nota peculiari, quod ſemper madeat, non vero, vt in reliquis peſtis ſpeciebus ſaepe euenit, areſcat.

Sitis fere nulla in peſte lenta decumbentibus obſeruatur, quod tanquam ſingulare, & in aliis febribus vix occurrens phaenomenon, conſiderandum eſt.

Abiectio animi, in peſte laborantibus, rationes ſuas ſat ſufficientes habet, dum morbus maligniſſimus vires vitae ſubito frangit, & mors fere certa, foris pulſans, miſeros omni ſpe priuat. De ſalute igitur ſua deſperantes, nec remediis vti, nec admonitionibus medentium auſcultari volunt, vnde maximum curationis obſtaculum, ſine quo multi forte ſeruari poſſent, enaſcitur.

Aluus adſtricta. Conſtantiſſima peſtis ſequela! Jam in periodo infectionis ſegnis fit aluus; quamprimum vero peſtis ipſa inuaſit, obſtructio eius pertinax, in primis tribus quatuor vel quinque diebus aegrotos grauat, & ſi ennematibus ſubducitur, excrementa viſcoſa, billioſa & copioſiſſima vix tamen foetentia, exonerantur.

Inflatio hypochondriorum &c. Hypochondria primum, mox regio ventriculi & totum abdomen inſigniter eleuantur; tumor vero digitis cedens, mollis, eam abdominis inflationem refert, qualis ex retentis poſt partum lochiis ſaepe animaduertitur. Intumeſcentia tamen haec non in omnibus aequalis, & in quibuſdam praeſertim macilentis vix ſenſibilis eſt. Flatus inceſſanter murmurantes aegre protruduntur, & qui exeunt minime ſonori, ſed viſſiones ſunt.

Nauſea vomitum ſemper praecedit; at ſaepe vel ex idioſyncraſia particulari vel indole morbi huius mire variantis, nauſeas, quamuis crebras & vomituritiones vehementes, vomitus tamen ſponte non ſubſequitur; quod ſemper prognoſticum peſſimum praebuit.

Vomitus. In quamplurimis poſt nauſeas leuiores praegreſſas, vltro & ſat libere procedit, dum alii, vti mox dictum fuit, etiam poſt reiteratos & violentos quaſi conatus, ſtomachum, ab onere ſumme opprimente, haud liberare poſſunt. Vtplurimum ſecunda vel tertia morbi die, rarius antea vel poſt infeſtat. Interdum ſtatis fere diei horis reuenit. Illuuies reiecta, reſpectu tam quantitatis quam qualitatis diuerſiſſima eſſe ſolet. In multis tanta eius copia, ſingulis vicibus euomitur, vt omnem paene fidem ſuperet, nec in aliis morbis, ſimile quid vnquam obſeruare detur; in reliquis minor quidem, ſemper tamen ſat larga quantitas euacuatur. Saburra haec, plerumque luteſcens colore luteſcente interſtincta, tenax, ſubinde ſpumans & quaſi fermentans, (odorem nidoroſum ſpargens) conſpectui ſe praebet. Exonerata moles aggrauans, leuamen quidem miſeris, ſed breue affert; nam per plures pauciorefue vices iterum accumulata, eadem via reiicienda erit. Poſt vomitum, amarities oris ſemper augetur, adeo vt multis intolerabilis fere fiat. In delirio conſtitutis, vel quibus diarrhoea jam ſuperuenit, nunquam amplius obſeruaui.

Exanthemata. Horum diuerſae admodum ſpecies in peſte lenta occurrunt. Communiſſima ſunt, petechiae, quae iterum amplitudine, copia, colore & eruptionis terminis, immenſum variant, ita vt nihil certi determinari poſſit. Plerumque paruae & diſcretae, non raro tamen hinc inde confluentes, latiores euadunt, & ſugillationes quaſi, ſat amplas efformant, ex quibus ſaepe carbunculi ſicci fiunt. Multi, non niſi maculis latioribus, paucis & ſolitariis inſigniti ſunt, dum in aliis copioſiſſimae, totam fere corporis ſuperficiem, imo tunicas oculorum albugineas, nigredine fere generali, turpiter deformant. Coloribus quoque multum variantibus ludunt. In quamplurimis praeſertim conclamatis liuidae vel atrae, in aliis vim morbi mitiorem experientibus, nigredine dilutiore, quaſi rubeſcente gaudent; in conualeſcentibus vero ſucceſſiue rubrae & luteſcentes factae, ſenſim diſparent. Ratione exortus

ortus itidem diſcrepant exanthemata haec. Nam alia jam in periodo infectionis, praeſertim ſolitaria, aegroto ſtatum ſuum periculoſum haud ſuſpicante, erumpunt; reliqua vna cum febre, plerumque vero, in morbo jam prouectiore, incertis temporibus, in conſpectum prodeunt. Interdum etiam lenticularia, ſupra cutem eleuata, piperis granis ſimilia, occurrunt. In ipſo peſtis exordio, dum locum quendam aggreditur, maxime vulgaria ſunt, ita vt fere nullus ſine his, & quidem ſaepe ſine bubonibus vel carbunculis manifeſtis, emoriatur, & hoc ipſo, anſam dubitandi minus expertis, praebeant. In vigore vero luis raro ſola, ſed cum bubonibus & carbunculis vnà exiſtunt; in declinatione demum & fine eius rariſſime comparent.

Bubones. Tumores hi, in glandulis externis maioribus potiſſimum, oriuntur; ſubinde tamen etiam in aliis partibus, vbi glandulas vix quaeſiueris, occurrunt. Omnium frequentiſſimus eſt bubo cruralis, vnum, duo vel tres digitos tranſuerſos (nam ſitus valde variat) ſub commiſſura inguinis, inter muſculum rectum & adductores femoris, ſub faſcia lata, directe ſupra tractum, nerui & vaſorum cruralium, poſitus. Crurales hoſce, quoad frequentiam ſequuntur ſubaxillares, tùm parotides, ſubmaxillares, ceruicales, inguinales, & mammales in ſexu ſequiori. In locis inſolitis, vti cauitate poplitis, medio crure, & in viris prope mammam, ſub margine inferiore muſculi pectoralis maioris rarius obſeruantur. Vtplurimum vnicus adeſt, ſaepe etiam & alter, imo plures ſucceſſiue proueniunt. In peſtifero quodam, bubonem cruralem & duos ceruicales inſimul, vidi. Moles eorum diuerſa admodum eſt. Subaxillares & ceruicales communiter oui gallinacei & vltra, crurales vero pugni circiter magnitudinem, nanciſcuntur. Submaxillares & parotides multo vaſtiores, & mammales in foeminis vaſtiſſimi fiunt. Inguinales vero, & qui in regionibus inſolitis proſiliunt, omnium minimi obſeruantur. Qui peſtem hanc lentam concomitantur, jam quoad rudimenta eorum, in periodo infectionis praeſto erant, & vix multum

dolen-

dolentes, mobiles, ſine alteratione integumentorum communium, in eodem fere ſtatu, interdum ſat diu perdurant. Poſt ingreſſum demum febris, dolere, eleuari, & partibus vicinis in conſenſum tractis, increſcere incipiunt; cute externa tunc rubeſcente, vibicibus quoque nonnunquam in circumferentiam ſparſis. Si exteriora non petant, nec vna cum cellulоſa adiacente intumeſcant, & cutis colorem naturalem ſeruet, exitus morbi infauſtus exſpectandus erit. Poſt mortem vero, cutis hucuſque quamuis immutata, in regione bubonis liueſcit, vel maculis latis atrorubentibus inſignitur. Crurales, inguinales & ſubaxillares, caeteris paribus, minus periculoſi ſunt; quin etiam parotidibus & ceruicalibus affecti ſaepe e vadis emergunt; at quotquot ſubmaxillaribus obnoxios videre mihi contigit, ob enormem intumeſcentiam partium laryngi proximarum, & inde productam ſuffocationem, omnes e vita migrarunt. Horrendum ſane aſpectum, a tumore vaſtiſſimo deformes, oribus hiantibus & lingua exſerta anxie anhelantes, praebuerunt miſeri. Peſſimi quoque ominis, mammales in foeminis, ob eandem vaſtitatem tumoris eſſe ſolent. Qui inſimul, vel poſt ingreſſum febris oriuntur, bubones, multo regularius intumeſcunt, inflammantur, & in ſuppurationem vertuntur, quam qui jam in periodo infectionis aderant. Signum quoque funeſtum eſt, ſi tumor etiam ex applicatione optimorum maturantium, vix eleuatur, ſed cuticula tanquam a veſicatoriis diſcedit.

Carbunculi nihil aliud ſunt, quam ſiderationes partiales cutis, & ei proximae cellulоſae, a nigredine cruſtae emortuae ſic nuncupati. Sphacelus hic a miaſmate peſtilenti productus, non eiuſdem ſemper naturae eſt; ſed in duas ſpecies ab experto oculo ſat perſpicue diſtinguendas, diuidi poteſt & debet; quae ratione exortus, decurſus & exitus, quam maxime a ſe inuicem differunt, & quarum primam, carbunculum *humidum*, alteram *ſiccum* denominare liceat. Ille ſemper inflammationem praecurſorem & comitem habet; hic vero ſine illa prouenit, & curſum ſuum abſoluit. Carbunculus humidus hoc modo procedit. Febre peſtilentiali jam oborta, vel interdum ſimul cum ea, pars qualiſcunque corporis, nunc maioris,

nunc

nunc minoris ambitus, ardere, dolere, rubeſcere & tumeſcere incipit (in aliis non niſi macula rubra, vix ſupra ſuperficiem cutis prominens, conſpicitur); non diu pòſt, in medio tumoris, vna vel plures, haud procul a ſe invicem diſtantes puſtulae, quaſi capitula acuum maiuſcula, altitudinem lineae raro ſuperantes, pallidiuſculae, & ſanie turbida repletae, exſurgunt, quae poſt breue interuallum crepant; cutis vero ſubiecta liueſcens & mox nigreſcens, ſphacelum jam factum indigitat. Nigrities haec, paullatim in omnes dimenſiones, vlterius ſerpit, cum peripheria ſemper inflammata. Saepe ex carbunculo in variam directionem, praeſertim ad tractum maiorum vaſorum & tendinum, vibices ſat inſignes protenduntur. Pro ratione vehementiae morbi, conſtitutionis aegrotantis & loci affecti, variantis admodum incrementi, durationis & exitus eſt. Vnica in eo ſalus poſita eſt, vt pars emortua, vel naturae vel artis beneficio, a ſana, exorta optabili ſuppuratione, tempeſtiue ſeparetur, & hoc ipſo vlteriori mali progreſſui limites ponantur; aliàs, mors ineuitabilis nunc citius, nunc tardius inſequitur. Carbunculus ſiccus e contra, ſine vllis inflammationis indiciis, e maculis latioribus confluentibus enaſcitur, quae ſaepe jam ante febrem, in periodo infectionis aderant; hac vero jam accenſa, cutis nigerrima facta, areſcit, corrugatur, & eodem modo ac humidus vicina depaſcitur, excepto rubore marginis, qui fere nullus eſt. Periculoſiſſimus eſt, & vix multi eo affecti ex naufragio vitae emergunt, dum ex humido, praeprimis medela conuenienti adhibita, maxima aegrotorum pars conualeſcit, niſi in partibus nobilioribus e. g. facie, collo, ſpina dorſi, locatus fuerit, vel in aliis regionibus multa celluloſa turgentibus, molem vaſtiſſimam adeptus ſit; aegrotis tunc a ſuppuratione exceſſiua exhauſtis & communiter ſuccumbentibus. Cruſta carbunculorum, a cute quaſi ambuſta, & proxime ei ſubiecta celluloſa quaſi calloſa facta, conſtans, tantae duritiei eſt, vt dum ſcarificatur, vix ſcalpello acutiſſimo, niſi fortiore manu impacto, cedat, & ſolutione e viuis partibus corporis in toto ambitu ſtabilita, notabili-

N ter

ter ſeſe contrahit, adeo vt ſpatium ſat amplum circumcirca relinquat. Maſſa haec ſphacelata, quia in fundo fibris plurimis ſanae celluloſae adhaeret, ſponte ſua non niſi ſero excidit. Sola integumenta communia, cutis nempe cum celluloſa, ſiderantur; muſculi vero vicini vel ſubſtrati, poſt exemptionem maſſae emortuae, ſemper colore rubicundo, ſtatum ſuum illibatum oſtendunt; nec oſſa, neruos, vel vaſa maiora affecta, nunquam vidi. Qui in extremitatibus tam ſuperioribus quam inferioribus oboriebantur carbunculi humidi, medicationi prae reliquis melius obtemperarunt, & ſuppuratione plerumque ſine difficultate, procurata, aegroti illico e periculo mortis tuti euaſerunt; etiamſi quoque bubo alicubi adeſſet, qui tunc itidem in maturationem properare ſolebat. Nonnunquam carbunculus humidus bubonibus implantatur, praeprimis cruralibus & parotidibus, fauſtoque vtplurimum euentu, ſuppurationem accelerat. In initio & vigore peſtis, carbunculi ſicci crebrius, vti furore eius remittente, & vi miaſmatis jam fracta, vtplurimum humidi prorumpere ſolent. In peſte lenta decumbentibus, aut ſoli carbunculi adſunt, aut vna cum bubonibus, imo & maculis inſimul coëxiſtunt. Numerus eorum in ſingulis ſubiectis varius eſt; nam quametſi maximam quoad partem ſolitarii obſeruentur; non raro tamen etiam plures, in diuerſis corporis regionibus, vnus poſt alium profiliunt; vel ſi non procul a ſe inuicem in initio diſſiti fuerint, in vnicum confluunt. Vtrum in vigore peſtis, bubones ſemper carbunculis quoad frequentiam praeualeant, vix definiam; in peſte tamen Jaſſienſi, bubonibus ſolis affectorum, ſemper maior erat numerus. Notatu dignum eſt, tam carbunculos ipſos, quam vlcera poſt eos relicta, vtcunque pure & ſanie ſcateant, nullum tamen foetorem ſingularem ſpirare, praeter eum, qui in omnibus vlceribus amplioribus, corporibuſque caeterum ſanis, ſentitur, & conſolidationem omni exſpectatione citiorem admittere, dummodo omnia rite procedant; quod etiam de bubonibus valet. Carbunculus ſiccus, cum ſphacelo ſenili, & cum eo, qui ex longiori decubitu,

tu, vel applicatione externa corroſiuorum, produci ſolet, maximam habet ſimilitudinem.

Debilitas ſumma. Quae jam in initio morbi, in multis immi- nutae erant vires vitae, de die in diem eouſque franguntur, vt ſtupore affecti, immobiles paene fiant aegroti; & quod mireris, nonnunquam per plures dies conſecutiuos in eodem fere ſtatu permanent, donec mors placida, vitae languenti, finem imponat.

Diarrhoea. Qui quintum vel ſextum morbi diem, ſine muta- tione in melius ſuperuiuunt peſtiferi, loco ſegnitiei vel obſtructionis alui hucuſque perdurantis, nunc frequenti, & ad mortem vſque continuato eius fluxu, corripiuntur. De torminibus dolorificis vix conqueruntur, ſed excrementa in initio ſemiliquida & bilioſa, ſine moleſta ſenſatione excernunt, quae in progreſſu morbi ſeroſa facta, jam inuoluntarie fluunt, non vero multum vel inſolitum foetorem ſpargunt. Diarrhoea haec in nonnullis, vſque ad XIV. diem protelatur, & cum illa caſtrenſi habi- tuali, in copiis tam familiari quam funeſta, apprime conuenit, & non niſi quoad celeritatem decurſus & quaſdam proprias circumſtantias dif- fert. Cutis externa, praeprimis extremitatum ſuperiorum, arida, cor- rugata & ſordida fit, pedeſque oedemate afficiuntur. Bubones hucuſque eleuati, paullatim ſubſident, & nullam ſpem maturationis futurae re- linquunt. Carbunculi itidem longe lateque vicina depaſcuntur, natura jam infirmata, ad limites per ſuppurationem ſtabiliendas, inefficaci fa- cta. Calor febrilis fere exſtinguitur, & pulſus quouſque percipi poteſt celer quamuis valde exilis permanet.

Delirium in peſte lenta, non niſi morbo jam adulto ſuperuenit; interdum paucis tantum horis finem vitae anteuertit. Quod vehemens aut furioſum fuerit, nunquam animaduerti.

XIX.

In hac peſtis ſpecie pernicioſiſſima & aegre medicabili, ex multis remediis tentatis, prae reliquis profuiſſe viſa ſunt: ſalia media & analeptica, in principio, quantitate conueniente exhibita; in prouectiore vero morbo, roborantia & adſtringentia. Praeprimis, ſuppuratio bubonum & carbunculorum, tanquam criſis vnica ſalutaris, omni cura ſtudioque adfectabatur.

Quamprimum peſtiferus, e periodo infectionis diuturniori, in peſtem hanc lentam prouolutus fuerit, tunc nulla amplius vtilitas, a ſudoriferis hucuſque tam proficuis, exſpectanda erit. De praeclara eorum in leuiori inſultu efficacia, jam primis aduentus mei in Jaſſiam diebus, experimentis tam in me ipſo, quam aliis captis, certior factus, non ſemel eorum prouocationem etiam in hoc ſtatu experiri volui, aſt ſemper irrito cum euentu. Nonnullis in prima inuaſione febris, imo in rigore ipſo adhuc conſtitutis, largas doſes Mixturae ſimplicis propinaui, & exſpectatione fruſtrata, poſt aliquot horas reiteraui; nunquam vero ſudores ſalutares elicere potui, quin conditio aegrotantium, quoad vires ſenſibiliter inde labantes, & anxietates inſequentes, vt ingenue fatear, in peius ruebat. Quamobrem mutata ſententia, de alia methodo ſerio cogitaui. Sciſcitanti mihi, an, & quaedam medicamenta, in peſte hac lenta, malignarum aemula, ſaltem quodammodo conducentia obſeruarint Chirurgi, qui jam per plures menſes ingentem numerum peſtiferorum curauerant, retulerunt, ex omnibus remediis ab iis tentatis, ſalia media, in initio largius exhibita, prae reliquis magis vtilia animaduerſa fuiſſe. Eandem & ego viam ingreſſus, omnibus, quotquot tempeſtiue curare licuit, varia ſalia media, praeprimis vero tartarum ſolubilem, de cuius in febribus malignis efficacia praepollente, aliunde conuictus

victus fui, pro doſi drachmam ſemis ad ſcrupulos duos, quouis bi-aut trihorio, non ſine fructu conſpicuo exhibui, quouſque aluus ſolutior, diarrhoeam hic maxime pertimeſcendam praenuncians, ab eorum vſu deſiſtendum, vel ſaltem parcius diſpenſanda eſſe, moneret. Nitroſa certe minus proficua videbantur, quod, inter reliqua, exemplo Generalis locum tenentis de Stoffeln clare apparuit, qui proprio conſilio, pulverem antiſpaſmodicum Stahlii, in quo vnicam fiduciam poſuerat, aſſidue ſumens, omnibus in peius ruentibus, diem ſuum obiit.

Vt vires vitae, quod caput rei erat, ſuſſulcirentur, a primo demum exordio, per totum decurſum morbi, varia, quae proſtabant, in vſum trahebantur media cardiaca & refocillantia; ex quorum cenſu, ſpiritus nitri dulcis, quem jam ſupra laudaui, & liquor anodynus mineralis Hoffmanni, parua doſi & ſaepiuſcule ex aqua pura, propinati, inprimis ſeſe commendabant. Pro olfactu aceta fortiora, ſpiritus nitri dulcis & pro re nata fortiora excitantia, e. g. ſpiritus ſalis ammoniaci volatilis, haud perperam, naribus frequenter admouebantur. Potus ordinarius, ex infuſo tenuiore panis ſecalini biſcocti, communiter conſtabat; & juſcula carnium recentium, a pinguedine depurata, quibus iis vti datum fuit, quoad vires reſtaurandas maximum emolumentum attulerunt. Nec epithemata, ſcrobiculo cordis, capiti & carpis frigide admouenda, quae plerumque ex mica panis ſecalini linteo obuoluta, & aceto, aromatibus, vel ſpiritu quodam fragrantiori conſperſa, conficiebantur, quantum ob tot impedimenta licuit, neglecta fuerunt.

Hiſce mediis reſoluentibus & analepticis, euidentiſſimo cum ſucceſſu, vſum ſpiritus vitrioli, per totum morbi decurſum, adiungere ſolebam. Quantitatem nempe eius ſufficientem, vehiculo conuenienti, vti decocto hordei tenui, infuſo panis biſcocti, vel aquae fontanae eouſque, donec acor mediocris, haud tamen dentes corrodens ſentiretur, inſtillandam, huiuſque liquidi, cyathum vnum vel alterum, per intervalla frigidiuſcule hauriendum, ordinaui. Manifeſto, nauſeae & vo-

 mitus,

mitus, dolores capitis, guſtus oris deprauatus, & reliqua ventriculi af-
fecti indicia remiſſiora fiebant; diarrhoea & delirium praeuertebantur; vires emendabantur, maturatioque bubonum & carbunculorum promovebatur. Sed, ſine indignatione nunquam mihi recordari licet, copiam medicamenti huius praeſtantiſſimi, in tanta frequentia peſtiferorum, ita demum defuiſſe, vt miſeris, medicationem praeſtolantibus, quomodo amplius rite ſuccurrerem, vix animum ſubiret. De ſuccedaneis itaque, quantum fieri potuit appropriatis, ex neceſſitate cogitans, loco ſpiritus vitrioli, ſolutionem vitrioli de cypro, ad eundem acoris gradum potulentis admixtam, adhibui; nec euentus in totum vota fallebat. Nam quamplurimi, eadem fere, ac ex ſpiritu vitrioli, emolumenta percipiebant, multumque generalior remedii huius vſus euaſiſſet, niſi plerique aegrotantium, potum talem, vtut parum ſolutione vitrioli impraegnatum, ob ſtipticum eius guſtum, & gulae quaſi ſtrangulationem (vti querulari amabant), pertinaciter auerſarentur, & non niſi coacti biberent.

Quia vires vitae analepticis mox deſcriptis, vix ſemper erectae ſervari potuerunt; e contra calor externus, jam in primis morbi diebus decreſcens; nulla in bubonibus & carbunculis ſuppurationis ſucceſſurae ſigna exſtantia; diarrhoea incipiens, & languor hinc productus periculoſiſſimus, roborantia exquiſitiſſimae virtutis poſcerent: multa ſane, tam a me, quam ab aliis experiebantur remedia roborantia, quorum tunc copia erat, & quae in aliis circumſtantiis, non ſine ſucceſſu in vſum trahuntur, e. g. radix ſerpentariae virginianae, contrayeruae, cortex Caſcarillae, extracta varia amara &c. ſed efficaciam inſigniorem a nullo horum (quamuis omni effectu intentato haud fruſtrarentur), obſeruare potui. Ipſe cortex peruuianus, etiam ſat copioſe datus, nihil ſingulare praeſtitit. Extractum myrrhae aquoſum reliqua antecellere videbatur.

Dum

Dum itaque in morbo prouectiore, diarrhoea, & ab illa producta debilitas ſumma, remediis hucuſque indicatis minime cederet, omnis ſpes, in vnico tantum ſpiritu vitrioli collocabatur, qui non ſolum, modo praedicto, & quidem nunc copioſius porrigebatur, ſed etiam ennemata ex iiſdem potulentis cum eo impraegnatis ſaepiuſcule iniiciebantur, & non ſine laetitia animi, quoſdam jam jam conclamatos (carbunculis & bubonibus paullatim in ſuppurationem tendentibus), quaſi reuiuixiſſe, vidi.

Ab epiſpaſticis, quamuis fortibus & veſicatoriis applicatis, nullum emolumentum animaduerſum fuit. E contra, cruſta a veſicatoriis producta ſphaceloſa, aridiſſima, & nullo modo ſeparabilis, in carbunculum ſiccum, cita inſequente morte, mutabatur.

Etiam vomitoria, in aliis peſtis ſpeciebus ſaepe neceſſaria, aut ſaltem vix nocentia, ſi ſerius, ſecundo nempe vel tertio morbi die exhiberentur, tantum abeſt, vt profuerint, quin ſemper debilitatem, & reliqua ſymptomata, infauſto cum euentu, exaſperarent.

Vti indicatio principalis & ſcopus fere vnicus medentis, in eo conſiſtere debet, vt ſuppuratio bubonum & carbunculorum, eorumque conſolidatio (nam reſolutio bubonum aut alia criſis hic locum non habet), quantocyus obtineatur: nunc, quae & quali ſucceſſu adminiſtrata fuerint media externa, & reliqua encheireſis chirurgica, ſuccincte explananda erunt.

Quando bubo, jam primis morbi diebus, ſine interruptione increſcebat, rubebat, & circumiacentem celluloſam in tumorem aequalem eleuabat; reliquuſque aegroti ſtatus quoad vires tolerabilis fuit: tunc remedia externa emollientia & oleoſa ſufficiebant, effectumque ſperatum produxerunt. Hunc in finem, fomenta ex ſpeciebus emollientibus addito lacte parata, & pannis laneis tepide admota; cataplaſmata ex mica panis triticei, vel farina lini, fagopyri, ſecalis &c. ſuperaddito

tantillo

tantillo olei lini vel butyri, itidem cum lacte cocta, & de nocte, emplaſtrum meliloti ſimplex ſuperimpoſitum, indicationi huic faciliori, perbelle ſatisfecerunt, ita vt quarto vel quinto morbi die, interdum quoque ſerius, fluctuatio ſenſibilis, inciſionem inſtituendam eſſe indigitarent, vel ruptura ſponte fieret, poſtea plerumque dilatanda. Si vero, bubonis germen vix multum intumeſceret, nec cum vicina cellulosa confunderetur, ſed mobilis permaneret, cutiſque externa colorem naturalem ſeruaret: tum validiora jam maturantia, ſtimulo conueniente praedita, quamuis ancipiti euentu, experiebantur. Cataplaſmata ex fermento panis, additis pro re nata, melle, gummatibus ferulaceis, cepis aſſatis, ſapone, ſeminibus ſinapi & erucae & ſic porro, per diem ſaepius mutabantur; nocte vero, emplaſtrum diachylon cum gummatibus, vel de galbano, ſuperimponebatur. Fuerunt quoque, tam Jaſſiae, quam Moſcuae, qui cataplaſmatis talibus cantharides miſcebant; ſed irrito, quantum mihi notum eſt, cum ſucceſſu; nam cuticula detracta, cruſta ſphacelosa, carbunculi ſicci aemula, breui producebatur, ſuppuratione bubonis neutiquam inſequente. Melius omnino negotium, cum remedio domeſtico, in Ruſſia vndique vſuali, paſta nimirum, ex farina tritici vel ſecalis, cum ſufficiente quantitate mellis, in formam emplaſtri ſubacta, & bubonibus ſaltem ſemel de die applicata, ſucceſſit; maturationem, ſi quae conſequenda, promptiſſime prouocans. Audiui nonnullos, cataplaſmate ex halecibus contuſis, vel per ſe, vel cum fermento panis commixto, in eundem finem proſpere vſos fuiſſe. Quamprimum fluctuatio vel tantilla, in quacunque tumoris regione perſentiebatur, inciſio, quantum fieri potuit, larga, in parte emollita protuberante, ſine mora inſtituebatur; quia alias a tabo reſorpto, noxae grauiores metuendae erant. Plerumque, ex vulnere recente, praeter maiorem minoremue puris copiam, ſanguis dilutior, interdum ſat copioſe exſtillat, in multis difficile ſiſtendus. Parenchyma bubonis albidum,

dum, duriuſculum, & quaſi ſcirrhoſum *), illico, ſi liceret, totum quantum, caute tamen remouebatur; ſi vero plurimis adhuc fibrillis celluloſae vicinae pertinacius annexa cerneretur, conſultius judicabatur, ablata portione jam dum libera, reſiduas relinquere, donec ſuppuratio vberior, nexum paullatim diſſolueret, & reliquias in quauis deligatione, ſine multa vi, ſenſim auferre permitteret. Nam bubones facile omnes, neruis & vaſis maioribus inſident, imo cum illis ſaepe coaleſcunt, quae itaque ſcalpello, etiam a manu exercitato, facile laedi poſſent. Hanc ob cauſam cataplaſmata & emplaſtra emollientia, vſque ad perfectam mundificationem continuabantur. Vlcus vero jam purum factum, methodo ſolita, ſarcoticis & balſamicis, e. g. Vnguento Arcaei, baſiliconis & digeſtiuo rite tractatum, conſolidationem ſine difficultate admittere ſolebat. Haud raro vlcera talia calloſa & fiſtuloſa euadebant, quando ob neglectas inciſiones ſufficientes, ſubſtantia glandulae, ex apertura ſpontanea minori, exitum fruſtra emoliens, tanquam corpus extraneum, inibi diutius reſtitaret; quo in caſu per dilatationes eximendum, & reliqua curatio ſubſidiis chirurgicis ſat notis abſoluenda erat. In multis, qui ope chirurgica genuina, in totum caruerunt, vlcera cacoëtha, & fiſtulae aegre medicabiles, remanſerunt. Praematurae inciſiones, in bubonibus nondum maturatis inſtitutae, valde pernicioſae inuentae fuerunt; nam loco ſuppurationis ſperatae, ſtillicidium ſanguinis & demum ſaniei ſubinde copioſiſſimum & difficile reprimendum inſequebatur; labia vulnerum, vna cum partibus vicinis indureſcebant, febriſque peſtilentialis inualeſcens, aegrotum vtplurimum jugulauit.

Cura-

*) Maſſa haec vniformis, a laciniis & ſinuoſitatibus inaequalis & quaſi eroſa, in qua diſſecta, glandulam ipſam fruſtra quaeſiui, ſteatomati duriori, vel praeparatis anatomicis adipoſis, in ſpiritu vini diu maceratis, comparari poteſt, & nunquam in tabum vniforme deliqueſcit, ſed ſuppuratio ipſa in celluloſa circumjacente, vnice peragitur. In vlcere diutius relicta, a pure alluente ſenſim molleſcit, & quaſi lacera fit.

Curatio carbunculorum naſcentium & adultorum diuerſa omnino fuit. Inflammatio, carbunculi humidi vtplurimum praecurſor, propinato in ipſo peſtis exordio ſudorifero, poſt exſtinctionem febris, aut perfecte reſoluebatur, aut in abſceſſum leuidenſem, facili negotio perſanandum, tranſiit; nec praeter fomentationes ex aceto fortiori, aliis remediis indigebat. Si vero grauior facta fuerit, & vibices longius excurrentes ſpargeret, etiam ſaturnina, e. g. aqua vegeto-mineralis Goulardi, emplaſtrum album coctum &c. in ſubſidium vocabantur. Quando jam puſtulae propullularunt, forfice reſcindebantur, & ſanie abſterſa, ſcarificationes ſuperficiales inſtituebantur, & vlcuſculum vnguento digeſtiuo, vſque ad depurationem plenariam, tandemque epuloticis deligabatur. Carbunculus vero conſummatus, jam ſeueriorem omnino tractationem expoſtulauit, quae methodo ſequente *), feliciter admodum, ſaltem in humidis, peragebatur. Circumferentia partis emortuae, quamprimum fieri potuit, vſque ad viuam carnem, crebris & ſat profundis ſcarificationibus, mediante ſcalpello incidebantur, & plumoſo pennae extremo, in aquam fortem vel butyrum antimonii intincto, per totum ambitum humectabatur, cauendo tamen, ne partes vicinae ſanae afficerentur. Prima deligatio plumaceolis ſiccis; reliquae vero, poſt quaſque XII. horas, vnguento digeſtiuo, ex admixtione ſalis ammoniaci & pulveris

*) Methodus haec antiqua, & primo intuitu crudelis, multis ſane non placet. At pace eorum, experientia certa fretus, aſſeuerare auſim, eam vix dolorificam, & pro ratione circumſtantiarum, medelam citiſſimam expoſcentium, neceſſariam eſſe. Ex obſeruationibus & experimentis infra ſuppeditandis, patebit, ſuperficiem corporis, & conſequenter cutem ipſam, aliàs tam exquiſito ſenſu praeditam, in provectiori peſte, inſenſibilem fere fieri. Acrimonia vero butyri antimonii vel aquae fortis, in partes viuas vicinas eo fine diffunditur, vt ex ſtimulo hoc fortiori, inflammatio & ſuppuratio, quae nunquam in parte emortua locum habere poteſt, in regione carbunculum ambiente, eo certius & citius excitetur. Sic, in praxi mea, ad exfoliationem oſſium carioſorum obtinendam, prae applicatione crebra lapidis infernalis, praeprimis in oſſibus ſpongioſis, nihil vtilius mihi viſum fuit.

veris myrrhae acutiori reddito, largiuſque, praeſertim ad margines applicato, caeterum more ſolito, inſtituebantur. Poſt vnam alteramue talem deligationem, niſi omnia jam conclamata eſſent, tumor carbunculum circumplectens, ſubſidere; cruſta vero ſphaceloſa ſeſe contrahere, corrugari, & vicina hucuſque depaſcens, jam ab illis ſeparari, & ſolutione continua circumcirca effecta, progreſſui ulteriori, limites poni, incepit. Puris indiciis e ueſtigio apparentibus, febris, cum omni malorum caterua, illico, ſine alia criſi manifeſta exulauit, & aegrotus ſaltem hac vice, a periculo mortis eripiebatur. Nec ab reſtitante, quamuis etiam per plures dies, maſſa ſiderata *), & inſulae inſtar, celluloſae ſubſtratae adhaerente, aliquid mali metuendum erat; attamen, quantocyus licuit, in integrum, vel fruſtulatim reſcindebatur, oborta ſuppuratione etiam ſponte decidens. Vlcus, haud raro ampliſſimum, pus optimae notae fundens, nullo foetore pollutum, methodo vulgari, vix difficulter, imo plerumque opinione citius, perſanabatur. Fuerunt tamen, qui ex ſuppuratione enormi, praeprimis quando carbunculus, in partibus multa pinguedine refertis, vti, abdomine, natibus, mammis &c. longius diuagatus fuerit, contabeſcentes, & febre demum hectica irretiti, diem obierunt ſupremum. Carbunculis ſiccis affecti, quamuis eodem modo tractarentur, rarius tamen percurabantur, quia ſuppuratio, plerumque ob naturae jam labeſcentis inertiam, vix ac ne vix quidem aſſequenda erat. Hoc interea pro ſolatio erat, quod non tam frequenter occurrerent.

O 2 XX.

*) Carbunculus omnis perfectus, ex cruſta nigra arida, & ſubiacente parenchymate ſordide albeſcente & duriuſculo, in quod tunica adipoſa mutata fuit, conſtat, & cum ea mole, quae bubonum ſubſtantias format, conuenit.

XX.

Peſtem acutam periodus infectionis breuior praeccdit, & ſaepe ſine manifeſtis eius incidiis, recte valentes quaſi improuiſò adoritur. Symptomata hoc fere ordine ſe inuicem ſubſequuntur. Deprauatio guſtus & ſaliuae; dolor capitis acutus; rubor oculorum & faciei; lingua valde impura, nonnunquam areſcens; horripilationes; calor ſat validus; pulſus multo plenior fortior & celerior quam in peſte lenta, ſitis quoque maior & vrina ſaturatior; aluus obſtructa; bubones & carbunculi breui poſt ingreſſum febris, vel inſimul cum ea prodeunt; etiam alii ſucceſſiue proueniunt; vomitus copioſus, primis diebus ſaepe rediens; delirium vtplurimum mite. In quibus a primo vſque ad quartum morbi diem bubones reſoluuntur, vel vti etiam carbunculi ſuppurantur, reſtitutio in integrum conſequitur. Aliter vero ſe res habet, ſi ſuppuratio retardat; bubones & carbunculi incremento ingenti augentur; delirium perſtat; vires vitae vna cum pulſu labuntur, & demum haemorrhagiae variae & excreationes pituitoſae oboriuntur. Poſt mortem tertio, quarto vel quinto die inſequentem, ſaepe exanthemata in corpore adhuc calente prorumpunt; cadauera vero ipſa inſolite pallida, tumidiuſcula, flexilia & foetoris expertia obſeruantur.

Periodus infectionis per ſua ſigna, nempe, dolores fugitiuos lancinantes, amaritiem oris, ſpurcitiem linguae, viſcoſitatem ſaliuae, intumeſcentiam glandulae cuiuſdam, laſſitudinem corporis & ſic porro, febris

febris ipſius aggreſſum, paucis plerumque horis, vix toto nycthemero, anteuertere ſolet; hoc tamen cum diſcrimine, quod affectiones hae nunc multo grauiores, quam ante peſtem lentam impendant, & augmentum celerrimum ſine interruptione capiant, praeſertim,

Dolores capitis jam multum acutiores, quam in periodo infectionis ante peſtem lentam infeſtantes, etiam rudiſſimam plebem juſto metu conturbant, & de inſtante periculo monent. Omnium primum eſt ſymptoma, de quo infecti quaſi inuiti conqueruntur; de reliquis vtpote leuioribus vix verba facientes. In regione ſinuum frontalium, & orbitarum oculi initium ſumunt, vnde per latera capitis vſque ad occiput, & ſenſim per totum caput diffunduntur; ita tamen, vt in anterioribus partibus ſemper praeualeant. Arteriae temporales eleuantur, & pulſus eorum conſpicuus fit. Ob maximam cum iis ſimilitudinem, qui a vaporibus carbonum producuntur, miſeri infecti, ne a conſortio reliquorum excludantur, & ipſi ſpe quamuis fallaci fruſtrentur, tam ſibi quam aliis imponere ſtudent, ſe hac tantum ex cauſſa male habere, omnesque occaſiones, quibus igni appropinquauerint, huc ingenioſe trahere ſolent. Alii crapulam accuſant; fueruntque non pauci, qui in primo hoc initio, per ſudoriſera perfecte reſtituti, ſe minime infectos fuiſſe poſtea clamitarunt.

Rubor oculorum. Signum hoc vulgi pathognomonicum nuncupari poteſt; nam qui vnicum ſaltem infectum attente adſpexerit, jam poſtea ex aſpectu ſolo, in diagnoſi huius peſtis ſpeciei, vix hallucinetur, quin etiam maxime diſſimulantes detegere, & falſi conuincere poteſt. Oculi nempe inſolite prominentes, venis juſto copioſioribus in tunica albuginea ſanguine turgeſcentibus inſigniti, hinc rubore praeternaturali affecti, ſuſpicionem mali deplorabilis haud fallacem incutiunt. Praeter morem humidi & ſubinde lacrymantes, radios quaſi ſcintillantes, & ferocitatis nota imbutos, ſpargunt. In vlteriori vero morbi progreſſu, vi-

ribus vitae ſenſim fractis, ſubſident, rubor paullatim exulat, & in conclamatis caliginoſi, & quaſi pellicula obducti conſpiciuntur.

Lingua a viſcoſitate albida, lutea vel fuſca, eam vndique praeſertim in media & poſteriore parte copioſe obſidente, inquinata, communiter madet; interdum vero in iis, qui maiori febris & caloris gradu tenentur, etiam arida fit. Ab initio demum morbi intumeſcit, & quoad molem ſenſibiliter augetur.

Horripilationes iis perſimiles, quae febrem quamcunque mitiorem catarrhalis generis, praecedere ſolent, nunquam tam vehementes & in longum protractae ac in peſte lenta obſeruantur; ita vt hoc ſolum indicio, ſtatim in primo acceſſu, peſtis inſecuturae ſpecies, determinari poſſit. Communiter horripilationes leuiores, & vexationes dolorificae partiales, praeludium morbi periculoſiſſimi ludunt. Fuerunt, qui nec minimam frigoris ſenſationem ante calorem ſe habuiſſe aſſeuerarunt. E contra,

Calor febrilis, quamuis in ſingulis ſubiectis valde varians, reſpectu tamen peſtis lentae multum ardentior in primis diebus, ea fere ratione, ac in febribus catarrhalibus, plerumque vſque ad finem morbi continuare ſolet. Hinc & reliqua febris attributa, vti

Pulſus celerior fortior & plenior, *ſitis* maior, & *vrina* ſaturatior, quam in praecedente ſpecie, cum iis, quae in febre acuta continua obtinent, comparari poſſent, niſi inconſtantia luis huius ſumma, anomalias vix deſcribendas producens, nil certi ſtatuendum ſuaderet.

Obſtructio alui etiam hic adeſt, & tanquam ſymptoma peſtis proprium, vel ex natura eius fluens, conſideranda venit.

Vomitus, poſt praecedentes nauſeas & vomituritiones plerumque non admodum graues, imo ſaepius fere nullas, facilius omnino & citius, quam in peſte lenta, primo nempe & ſecundo morbi die, procedere ſolet. Saburra ſimilis quoque conſiſtentiae ac coloris, multo tamen copioſius & frequentius reiicitur.

Deli-

Delirium plerumque vehementius quidem ac in peſte lenta, rariſſime vero furioſum occurrit. Peſtiferi nempe mente conturbati, vel tanquam ſoporoſi, immobiles fere jacent, vel ſi vigilant, tunc, inquieta manuum jactatio, & niſus ſe erigendi, quaſi e lecto aufugere vellent, eos continuo occupat. Aſſidue garriunt, ſed ob linguae intumeſcentiam, ac ſi temulenti eſſent, balbutiunt, nec quae effutiunt recte intelligi poſſunt. Saliua viſcoſa os implet, & ex eo, pituitae inſtar tenuis & ductilis plerumque propendet. Iam ſecundo & tertio die incipit delirium hoc, & haud interrupte continuare ſolet, donec aut natura victrix, aut mors febri finem impoſuerit.

Quae in hiſtoria bubonum & carbunculorum ſupra exper. XVIII. tradita, recenſui epigenomena eorum generaliora, tanquam in reliquas peſtis ſpecies quadrantia, hic loci repetere ſuperſedeo. Sufficit, vt quae huic acutae propria ſunt, nunc ſuccincte explanem.

Bubones plerumque vna cum febri, aut paulo antea proſiliunt; rarius etiam poſtea vnus alterue ſuperuenit: communiſſime vnicus, & quidem jam ab initio adeſt. Si diapnoë vel ſudor ſalutaris primo jam morbi die, vel ipſius naturae beneficio, (quod tamen perraro accidit) aut per media appropriata, prouocatus fuerit; tunc bubo enaſcens perfecte reſoluitur, & paucis diebus, ſubinde vero ſerius, ſine vllo tamen incommodo derelicto, ſenſim euaneſcit. Saepe, eodem tempore ſtillicidium ex pene, materiae albae, viſcidae, lymphaticae, puri analogae, abſque doloribus, prout in gonorrhoea benigna, poſt aliquot dies, nulla adhibita medela, deſinens, obſeruatum fuit. Etiam quando morbus protrahitur, melius omnino eleuantur, & cum vicina celluloſa coaleſcunt, quam in peſte lenta, hinc & maturatio facilius quidem procedit; ob incrementum vero ſubitum & ſubinde maximum, ſymptomatibus exaſperatis, eo ipſo periculoſiſſimi fiunt.

Carbunculi vtplurimum humidi, in hac peſtis ſpecie occurrunt. Non ſolum in initio febris oriuntur, ſed etiam non raro, diebus inſequenti-

quentibus, alii carbunculi ſuperueniunt. Quamprimum febris, per ſudorifera ſine mora exhibita, funditus ſublata fuerit, rudimentum carbunculi inflammatum diſſipatur; interdum (vti in me ipſo accidit), humor purulentus quaſi, & ei quem mox deſcripſi ſimillimus, ſub veſicula grandiori derepente oborta, colligitur, & euacuatione per inciſionem facta, fundus cutis ruberrimus & minime ſideratus, poſt ſuppurationem leuiorem, ſanationem facile admittit. Si vero altiores figerit radices inflammatio, vel pars quaedam jam jam emortua fuerit, tunc ſuppuratio quantocyus prouocanda, finem optatum largitur. Vti bubones ſic etiam carbunculi in peſte acuta, celerrima incrementa capere ſolent. Caeterum hi multo faciliores curatu ſunt, quam qui in peſte lenta proueniunt carbunculi humidi.

Quia peſtis haec acuta, multo celeriorem decurſum habet, quam lenta, peſſimi certe ominis eſt, ſi bubones & carbunculi, ante quintum morbi diem, in ſuppurationem vix abeant; e contra perpetuum augmentum capiant, & ſymptomata reliqua exaſperentur; febre vero remiſſione facta, & viribus vitae jam deficientibus, noua, lethali fere ſemper cum prognoſtico oboriantur, vti

Haemorrhagiae. Accidit, quamuis rariſſime, vt ſanguinis e naribus, in primis morbi diebus, moderata euacuatio, praeſertim in plethoricis, febrem mitigando, critica quaſi euaſerit; in aliis vero & plerisque minime ſalutaris, imo mortis cauſa proxima fuit. Vidi tamen aegrotum, bubone crurali, & maculis copioſiſſimis nigerrimis inſignitum, cui ſtillicidium ſanguinis lentum e naribus, quinto morbi die ſuperueniens, ſanguine valde diſſoluto & palleſcente, per integrum nychthemerum, haud interrupte guttatim effluente, in ſalutem ceſſit. Alii, ob haemorrhagiam, poſt praematuram inciſionem bubonum, ex vaſis cutis minoribus obortam, & nullo modo compeſcendam, diem obierunt ſupremum. Qui ſanguinem multum ſpumeſcentem, cum pituita copioſa permixtum exſcrearunt, quamuis alias adhuc viribus conſtarent,

&

& minime periculoſi viderentur, breui poſt & inopinato fere, animam efflarunt. In ſexu ſequiore, multo frequentiores & ſaepiſſime lethales tunc inſtabant haemorrhagiae. Nam, perſaepe menſtrua etiam ante terminum, in infectis cum impetu prorumpentia, proſtrationem ſubitam virium, ipſamque mortem accelerarunt. Grauidae peſte correptae, ſemper, quantum mihi innotuit, abortum patiebantur, & ex lochiis copioſiſſime profluentibus cito perierunt; quod etiam in juſto termino parturientibus, plerumque euenit.

Exanthemata. Vti in peſte lenta, nunc citius nunc ſerius prorumpunt, ſaepe penitus deſunt. Singulare quoque phaenomenon nuncupari poteſt, quod non raro, maculae variae magnitudinis, atrorubeſcentes vel fuſcae immediate poſt mortem, & nonnunquam ſat copioſe, in variis corporis regionibus, tanquam ſtellae in ſereno crepuſculo, vna poſt aliam exoriantur; quamuis per totum morbi decurſum, vix ac ne vix quidem viſae fuerint.

In cadaueribus hoc quoque notabile fuit, quod corpora peſte acuta defunctorum, non tantum ſolito pallidiora & quaſi exſanguia, ſed etiam mollia & flaccida, minime vero, vti poſt alios morbos acutos, rigida obſeruentur; nec putredinis inſequentis indicia exſtabant. Vidi toties cadauera in media aeſtate, ob defectum rhedarum & veſpillonum, per plures dies inhumata, nullam tamen mephitidem ſpargentia; nec profluxus ichoroſus ex ore & naribus, vel intumeſcentia abdominis, tanquam phaenomena, poſt febres malignas, in demortuis ſaepe obuia, a me animaduerſa fuerunt.

XXI.

Peſtis acuta incipiens, regimine & remediis ſudoriferis tempeſtiue in vſum vocatis, perfecte curabatur; reſolutione vel ſuppuratione bubonum & carbunculorum poſtmodum

ex voto ſuccedente. Seriore vero die, locum non invenerunt, ſed, emetica, ſalina, roborantia & adſtringentia, euidentiſſimo, in multis, ſucceſſu, exhibebantur, & ſuppuratio bubonum carbunculorumque, ſummo ſtudio annitebatur. Nonnunquam, in bubonibus & carbunculis, periculoſe grandeſcentibus, etiam repercutientibus vti, neceſſe fuit.

Quantae efficaciae, ſudores regimine & medicamentis eliciti, in periodo infectionis, quamuis longius protracta fuerint, jam ſupra, (exper. XVII.) ſat clare, ni fallor, exemplis indubitatis, probaui; hinc mirum eſſe non poteſt, quod, in breuiori illo, quae hanc peſtis ſpeciem praecedere ſolet, (nam ſubinde periodo infectionis caret) & ob naturae, nondum tam infirmatae energiam, eoſdem laudabiles effectus, & quidem faciliori negotio, producant. Nec in hoc ſolum termino ſubſiſtit ſalutaris eorum vſus, ſed febre jam accenſa, poſt plurimas adhuc horas, miſeris peſtiferis, ſpes reſtitutionis plenariae & citiſſimae, per methodum ſudatoriam obtinendae, haud dubia ſupererat, dummodo exiguo hoc, & maximi momenti temporis ſpatio, iis rite ſuccurreretur. Quousque vero, periodus haec ſeſe extendat, praeciſe determinare non licuit; nam pro ratione circumſtantiarum valde variantium, nunc paucis poſt inuaſionem febris horis, nunc toto nycthemero tranſacto, ſudorifera cum euphoria propinari, reiterari, & ſaltem ſine noxae periculo tentari poterant. Commodiſſimum certe & appropriatum, diaphoreſin excitandi tempus, exordium ipſius morbi erat, ſiue cum, vel ſine febre adhuc ſeſe manifeſtauerit, & quo propius origini, ſudorifera exhibebantur, eo citius & certius, reſtauratio ſanitatis conſequebatur. Communiter vſus eorum inutilis obſeruabatur, quando rubor faciei & oculorum jam diſparuerit, & vomitus inſtaret. Nihilominus contigit mihi, Subofficialem juuenem, qui pridie correptus, altero mane in praeſentia mea, multum

ſed

ſed libere euomuit, quemque febris cum pulſu pleniore ſat valida tenebat, propinato ſudorifero, ita feliciter liberare, vt die ſequente, proprio nutu, munia ſua obeuntem, viderem; bubone crurali, per reſolutionem, ſenſim euaneſcente.

Sudoriferorum adminiſtratio eadem omnino ac in periodo infectionis fuit; hoc tamen cum diſcrimine, vt in principio, doſes mixturae ſimplicis ordinariae; quo longius vero proceſſerit morbus, antequam opem medicam afferre licuerit, eo quoque minores & frequentiores, quaſi experimentando, propinarentur; & ſi ſudor, leuamen quidem, ſed nondum plenarium attulerit, tunc optimo cum ſucceſſu reiterabantur. Terminum ſudationis ſufficientis, pulſus pacatior factus; ſymptomatum maxime vrgentium, praeſertim dolorum capitis ceſſatio, vel ad minimum remiſſio, indigitabant. Poſt criſin hanc ſalutarem, infecti facile omnes, nullum omnino virium defectum ſentientes, lectum illico deſerere, plerumque volunt, quod tamen vix concedere ſolebam, nam haud raro eodem vel altero die, recidiuas faciliores quidem, ſed eodem modo, de nouo propulſandas, patiebantur. Conſultius itaque judicaui, vt per ſufficiens temporis ſpatium, donec ſudores vltro finirentur, in lecto tranſigere tenerentur.

Quae, itidem in periodo infectionis, pro reſolutione bubonum, laudaui remedia externa, etiam nunc applicabantur; ſaepiſſime tamen ſine his quoque, ex optato ſucceſſit.

Quandoque accidit, vt profligata febre, & aegroto quoad reliqua reſtituto, bubo tamen inſignior, reſolutionem admittere noluerit; hinc, poſt plures interdum dies, imo ſeptimanam, in eodem fere ſtatu permanens, tandem ope maturantium in ſuppurationem redactus, modo ſupra deſcripto, ſine difficultate perſanabatur. Hoc praeprimis in iis, qui iteratò peſte corripiebantur, obſeruatum fuit.

Febre peſtilentiali deuicta, etiam carbunculorum initia, niſi perfecte reſoluantur, ſponte in ſuppurationem abeunt; aut pars ſolummo-

do inflammata, vel in veſiculam eleuatur, vel in abſceſſum leuiuſculum mutatur; facilemque curationem admittunt.

Prima itaque dies peſtis acutae, ſumme momentoſa eſt, & quo maturius curatio haec adminiſtrata fuerit, eo certior ſpes liberationis, a malo hoc periculoſiſſimo allucet. Vtinam! tam infecti quam medentes, ſi quando talis caſus lugubris in poſterum exſtiterit, de certitudine aſſertionis huius, aeque conuicti eſſent, ac ego. Illi nempe, a procraſtinatione, & conditionis ſuae periculoſiſſimae diſſimulatione abſtinerent; hi vero intrepido animo, opem citiſſimam ferentes, experientiam hanc mihi indubiam, ulteriori ſucceſſu confirmarent.

Quando nauſeae & vomiturItiones, cum grauedine ventriculi opprimente, & anxietatibus praecordiorum, peſtiferos vexarent, pro facilitando ſaburrae tenacioris exitu, emeticum, & incontinenti poſt, potulentum quodcunque, ſale communi leuiter impraegnatum, ſuperbibendum praebebatur. Si effectus tardaret, digitis gulam titillare jubebatur aegrotus. Quamprimum per vomitum ſufficientem, illuuies plerumque maxima reiecta fuerit, patientes leuamen inſigne experiebantur, pulſusque exilis & debilis ab angoribus redditus, ad ſiugem redire ſolebat. Repetitio remedii huius, ex obſeruatis minime conducibilis videbatur, vomituſque poſt primam vicem, eodem & altero die ſat copioſi, ſponte reuertebantur. Saepe eius vſus plane ſuperfluus fuit; nam multi poſt leuiſſimas nauſeas, ordinarie ſat libere vomebant; quamobrem euacuationem plerumque tam enormem, augere, minime e re fore, judicaui.

Formulae emeticorum, quibus & ipſe, & mihi ſubordinati medentes vtebamur, ſequentes erant. 1) ℞ Pulv. rad. Ipecac. gr. VIII. Tart. emet. gr. II. Antim. diaph. gr. X. 2) ℞ Vitrioli albi vomit. gr. X. quae fere promiſcue dabantur.

Caeterum, quando a ſudoribus, nullum auxilium amplius exſpectandum erat, eadem ſalia media, quae ſupra (exper. XIX.) indigitaui,

gitaui, ſcopo tam incidendi ac reſoluendi, quam etiam aeſtum febrilem, ſi ſubinde modum excederet, temperandi, iiſdemque cum cautelis in vſum trahebantur. Maxima tamen fiducia in ſpiritu vitrioli poſita erat, qui eodem modo, & quidem ſat laute (quantum ob inopiam eius licuit), euidentiſſimo cum fructu propinabatur.

Si vires vitae ſubito deficerent, & debilitas ſuſpecta adoriretur (quod tamen in hac peſtis ſpecie rarius euenit); tunc iiſdem refocillantibus & roborantibus, vis vitalis ſeſe ſubtrahens, corroborari annitebatur.

Bubones quoque & carbunculi, more ſolito procedentes, methodo eadem ac in peſte lenta tractabantur. Quando vero febris, rubor, tenſio & intumeſcentia bubonum ingraueſcerent, vel carbunculorum celerrima propagatio, periculum minitaretur: tunc ad repercutientia confugi. Si epithemata ex aceto fortiori vix ſufficerent, aqua vegeto mineralis Goulardi in ſubſidium vocabatur, donec ſymptomata miteſcerent. Fuerunt ex plebe, qui puluere cretae albae, ſtupae aſperſo, bubones ſuos ad maturationem produxiſſe aſſeuerarunt. Dum turbam Tartarorum captiuorum, qui in vico quodam, X. leucas ruſſicas circiter a Jaſſia diſtante, detinebantur, viſitarem, vidi coagulum lactis coctum (ruſſice twarog), carbunculis impoſitum. Rogitata, per interpretem, cauſſa, cataplaſmatis huius ſingularis, reſponſum tuli, hoc ſemper apud eos palmarium in peſte praeſidium haberi, quia calorem, h. e. inflammationem e bubonibus & carbunculis extraheret. Certe, in quibus applicatum inueni, mitius decumbere mihi videbantur.

XXII.

Peſtis acutiſſimae variationes plurimae, ad ſequentes duos typos, ſaltem quoad principalia momenta referri poſſunt.

1) Integra fruens valetudine, ſignis infectionis haud prae-

greſſis, derepente, horrore breui at vehementi, cum inſequente & per plures vices cum illo alternante calore, corripitur; breui vero, calor externus exulat, & ſuperficies corporis frigidiuſcula fit. Pulſus durus, celerrimus; dolores capitis vehementiſſimi; anxietas praecordiorum diriſſima; delirium vtplurimum furioſum; lingua glabra ſicciſſima tandem liueſcit; reſpiratio anheloſa; oculi magis adhuc quam in peſte acuta protruſi, rubeſcentes & ferocitatis nota imbuti; facies & collum turgeſcunt, & rubore in liuorem abeunte perfunduntur. Vomitus rarius ſponte ſuccedit. In ſtatu hoc grauiſſimo, vix nyćthemeri ſpatium, nec, multas ſubinde horas, tranſigunt infećti. Plerique, tanquam apoplećtici, vel catarrho ſuffocatiuo ſtrangulati; nonnulli vero magis placide vitam finiunt. Poſt mortem liuores in iis locis, vbi bubones prorumpere enitebantur, & per varias corporis regiones, maculae & ſtriae atro-coeruleſcentes, in conſpećtum veniunt. In IIdo typo, debilitas a primo jam initio adeſt, et vna cum anxietate quouis momento inualeſcit; ex qua niſi tempeſtiue aegrotantibus ſuccurratur, vix animam linquentem reuocant; ſed breui fato ſuo ſuccumbunt. In his, pulſus quamuis celerrimus, exilis tamen, debilis & demum deficiens; nonnunquam delirium mite; ſaepe tamen vſque ad mortem mente conſtant. Reliqua ſymptomata febrilia vix manifeſta ſunt. In cadaueribus rudimenta bubonum itidem conſpiciuntur.

Prae-

Praeter duos, quos hic trado typos frequentiores, etiam alii, ex hiſce quaſi compoſiti occurrunt; quos vero, ob maiorem minoremue ſymptomatum ſimilitudinem, praeſertim, quoad virium vitae conſtantiam, ad hunc vel illum propius accedentes, ſub proprium ſchema redigere, haud difficile erit. Summa namque diuerſitas, in robore corporis hic deficiente, illic vero ſat magno, imo fere exceſſiuo, in typis demum intermediis, ſaltem in initio modico, conſiſtit. Omnes tamen in decurſu celerrimo, & anxietate praecordiorum conueniunt, quae nunquam deficit, & pro ſigno pathognomonico peſtis huius acutiſſimae, reputari poteſt. Tanta omnino eſſe conſueuit, vt miſeri eam verbis exprimere haud valeant; non tamen de doloribus acutis, ſed ſenſu quodam ſumme grauatiuo, ſuffocatiuo, & penitus intolerabili, ſub ſcrobiculo cordis, querulantur. In anguſtiis hiſce animi, ingemitu, fletu & eiulatibus, ſtatum ſuum periculoſiſſimum indigitant; ſeſe quaquauerſum motibus violentiſſimis torquent, & praeſertim jam in delirio conſtituti, humum petunt, & reptando progrediuntur, quouſque vires vel tantillum ſuperſunt. Alii, in ſummam debilitatem, jam in exordio prouoluti, eoſdem angores experientes, ob defectum tamen virium ſe minus jactitant. Quae in typo primo recenſui ſymptomata, inſultum febris violentiſſimae, eum, qui in peſte acuta obtinet, multis paraſangis ſuperantem; e contra, in altero, febrem quamcunque malignam, ex defectu virium jam fatiſcentem, referunt. Sic, horrores, in multis valde praecipites, in aliis moderatiores ſunt. Calor externus, conditio pulſus, ſiccitas linguae, reſpiratio anheloſa, delirium & ſic porro, multum quoque variare ſolent; adeo vt, certamen naturae quantumuis robuſtae, cum morbo omnium acutorum diriſſimo, poſt breuiſſimum temporis ſpatium finiendum, nullibi tam ſenſibiles & enormes mutationes conſpiciendas offerat, ac hic. In ſecundo typo, vires vitae jam ab initio fractae, & quouis momento decreſcentes, praeter anxietatem indiuiduam eius comitem, ſymptomata reliqua minus conſpicua efficiunt. Quantum mihi

conſtat,

conſtat, priorem typum incurrebant, homines vigore pleni, & caeterum ſaniſſimi, poſt ingurgitationem nimiam ciborum dyſpeptorum; condimentorum acrium; & fructuum horaeorum; vti quoque ex inhalatione vaporum calidorum culinarium. Alter vero, ex terrore; venere intempeſtiua; venaeſectione &c. originem ducere viſus fuit. Multo rarius, ac reliquae peſtis ſpecies, haec acutiſſima obſeruatur, & plerumque citius occidit, quam medentibus de morbo innoteſcat; adeo vt quem heri ſanum vidiſti, hodie jam in ſepulturam efferatur. Carbunculos perfectos & exanthemata in hac ſpecie nunquam animaduerti; at bubones, jam in viuis breui poſt inſultum prorumpunt, & in cadaueribus ſat eleuati & liueſcentes conſpiciuntur.

XXIII.

In ipſo aggreſſionis principio, & quouſque vires adhuc conſtabant, vomitus ſine mora prouocabatur, & pro re nata continuabatur, donec anxietas praecordiorum ceſſauerit, vel ad minimum multum ſubleuata fuerit. Immediate pòſt, cardiaca, & modico interuallo tranſacto, ſudorifera propinabantur, imo reiterabantur. Si vero ſerius auxilium imploraretur, dum ſumma jam aderat debilitas, tunc emeticis, cardiaca efficaciſſima, anteponebantur, & euacuatione per vomitum ſufficientem inſtituta, eadem methodus diapnoica, refocillantibus tamen & excitantibus haud neglectis, tentabatur.

Vtut ſaeua & per ſe ſemper lethalis peſtis haec ſpecies ſit, certum tamen eſt, eam curationem, & quidem omni exſpectatione citiorem, ſaltem in primo typo admittere, dummodo methodo indigitata procedatur. Semper animum meum laetitia verſabit, quam, ex primo

mo hac ratione liberato, & ex orci quaſi faucibus, praeter ſpem fere erepto, percepi. Quamprimum nempe, repentina, vehementiſſima & tumultuaria ſymptomatum primordialium peſtis, inuaſio, ſpeciem hanc determinarunt, tunc, ſine vlla mora, ſi vires adhuc ſufficerent, vomitorium idem, ac in peſtis acutae curatione deſcripſi, ex aqua tepidiuſcula ingeſſi, & ſi poſt quadrantem horae ad ſummum, reliquis quoque ibidem laudatis ſubſidiis in vſum vocatis, nullus produceretur effectus, etiam alteram imo tertiam doſin propinaui, quouſque finem propoſitum attingerem. Communiter ingeſta ſola exonerabantur, & dummodo poſt vnicam vel reiteratas reiectiones, ſtomachus ſat purgatus fuerit, leuamen valde notabile, praeſertim quoad anxietates, ſtatim inſequebatur. Saepe poſt tantas turbas, & violentas vtplurimum vomiturítiones, male habere, quin animo linquere ſolebant infecti; quamobrem excitantibus & cardiacis efficaciſſimis eos reficere neceſſe fuit. Hinc, odoramenta, quae proſtabant varia (cfr. exper. XXI.); aſperſio faciei cum aqua frigida; frictiones per varias corporis partes; interne vero, ſpiritus nitri dulcis, liquor anod. min. H. juſcula carnium; vinum meracum cum aqua dilutum, & ſic porro, omni diligentia in vſum trahebantur, donec vires vitae quodammodo reuerterent. Impetratis induciis, mox doſis ſat larga mixturae ſimplicis, vti exper. XVII. dictum fuit, propinabatur, & reliquo regimine ſtricte obſeruato, ſudor ſalutaris, morbum totum quantum perfecte ſoluere ſolebat. Si vero reliquiae reſtarent, reiterato remedio tollebantur. Germina bubonum vel carbunculorum, fomentis ex aceto, cum decima parte ſpiritus vini camphorati commixto, vel ſaturninis, aut emplaſtris reſoluentibus applicatis, poſt totalem febris ceſſationem, reſolutionem proſperam, ſine difficultate ſubibant. Quando vero, in ſecundo typo, vires jam admodum labefactatae fuerint, tunc anceps omnino reddebatur curatio. Emetica in hoc ſtatu propinata, quamuis fortiſſima, nullius vnquam efficaciae fuiſſent, niſi languorem mortalem, in anteceſſum aliqualiter emendare

contigerit. Hanc ob rationem eadem refocillantia & cardiaca, quamuis ſpe incerta, adhibebantur, & ſi eleuatio pulſus, & alia indicia fauſtiora. vim vitalem reuiviſcentem monſtrarent, tunc primum emeſis & poſt eam diaphoreſis obtinenda, pro ſcopo erat; maximo inſimul virium, quouis modo excitandarum, & adaugendarum reſpectu habito.

XXIV.

Praeter deſcripta hucuſque ſymptomata peſtis, etiam ſubinde alia, tanquam rariora obſeruabantur, vti: ſuſurrus aurium, vertigines, haemorrhagiae narium in initio morbi, vermes, ſpaſmi & conuulſiones.

Quia peſti vix propria ſunt, ſed ex peculiari aegrotantium conſtitutione, vel ex aliis circumſtantiis particularibus potius deriuanda erunt, reliquis interpolare nolui. Suſurrus aurium & vertigines, ex congeſtionibus verſus caput tam manifeſtis, in quibuſdam oriri poſſe quis dubitet? quamuis eorum vix multi mentionem faciant. Haemorrhagiae narium, ſubinde in plethoricis, in primis diebus peſtis acutae, & quidem ſalutari cum effectu erupuerunt; in aliis vero non ita, adeo vt de eorum ſalubritate nil certi ſtatui poterat. Vermes, non ſolum in viuis, ſed etiam mortuis nonnullis, qua data porta, tam per os, quam anum, exitum ſibi moliri, viſi ſunt; rariora tamen fuerunt exempla, & tanquam peſtis ſymptomata haud conſiderari poſſunt. Spaſmos fortiores & conuulſiones in adultis, non memini me vidiſſe; in infantibus vero tenerioribus ſubinde obſeruati fuerunt.

XXV.

Diaeta peſtiferorum, pro vario morbi ſtatu, & conditione aegrotantium, diuerſa omnino ordinabatur. Eſculenta & potu-

potulenta cruda, vel fermentationi obnoxia euidenter nocuerunt. E contra, juſcula carnium; panis bene fermentatus, panatellae tales, & potus, acidis vel mineralibus vel vegetabilibus, impraegnatus, apprime conducere, imo, magnam curationis partem abſoluere, videbantur.

In periodo infectionis conſtitutis, vti etiam conualeſcentibus, non ſolum juſcula varia, pinguedine tamen ſupernatante probe detracta, ſaleque & aceto condita, ſed etiam robuſtioribus, carnes ipſae elixae teneioris texturae, ſine vlla noxa inſequente, cum moderatione concedebantur. In ſtatu prouectiori peſtis lentae & acutiſſimae, quando vires vitae efficaciſſime erigendae erant, pro ſummo remedio juſcula haec erant; dummodo aegroti, plerumque jam delirantes ea non plane reſpuerent, vel natura nondum penitus ſuccubuerit. Panis triticeus vel ſecalinus, non niſi bene fermentatus, & a propriis militibus piſtus, in Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi, in vſum trahebatur, minime vero placentae Moldauicae *), quas ex aequali proportione farinae tritici & frumenti turcici, (Mays dicti), ſine praegreſſa fermentatione, parare ſolent, admittebantur; dum eorum vſus, ventriculum aggrauans, & hinc ſumme noxius, noſtratibus jam dudum innotuerit. Panatellae, ex farina tritici, ſecalis vel auenae, poſt fermentationem ſufficientem, confectae (ruſſice Kiſel) vti aegrotis in deliciis erant, ſic etiam vtilitate euidentiſſima ſeſe commendarunt. Potus a me praeſcriptus ſimpliciſſimus, & omnium reliquorum vti videbatur, ſaluberrimus, fuit infuſum panis ſecalini, in fruſtula diſſecti, & in furno exſiccati, quod non ſolum ſemper parabile, ſed etiam lubentiſſime ab aegrotis, bibebatur. Quamdiu ſpiritus vitrioli adhuc ſuppetebat, eius quantitatem ſufficientem, vſque

Q 2 ad

*) Placentae hae, primo die ſat veſcibiles, altero, jam tenaces, viſcidae & acidae factae, non niſi gulae aſſuetae, & ſtomacho robuſtiſſimo, conueniunt.

ad leuiſſimum acoris guſtum, vehiculo huic, vel ſi etiam hoc deficeret, aquae fontanae inſtillaui; poſtea aceto vini pro eius ſuccedaneo vtebar. Decoctum vero hordei, cum admixto oxymelle ſimplici, in omnibus Noſocomiis noſtris vſitatiſſimum, hanc ob rationem non adhibui, quia ex multiplici experientia flatulentiam eius, hic certe maxime nocituram, perſpectam mihi habui. Nec ceraſa, quorum tunc Jaſſiae prouentus copioſiſſimus fuit, vel per ſe, vel ſuccum eorum cum potulentis, aegrotis porrigere audebam, quia in peſtiferis ſaepe maſſas immutatas fere ceraſorum, ex fermentatione ſpumantes, vel ſolas, vel cum ſaburra reliqua commixtas, vomitu reiectas, & odorem nidoroſum ſpargentes, vidiſſem. Vinum Moldauicum ordinarium, vtpote ſubacidum, haud multum ſpirituoſum, & ob acrimoniam crudam flatus excitans, peſtiferis concedere vix commodum duxi; nec vtilitatem eius, quamuis ab incolis, pro potu fere ordinario hauriretur, obſeruare datum fuit. Interea meraciora alia, praeſertim abſinthites, quae a lautioris conditionis hominibus, tunc temporis, ſcopo quoque praeſeruatiuo, in vſu erant aſſiduo, ſymbolam quoque ſuam, haud poſtremam contuliſſe videbantur, quod hi rariſſime, reſpectu pauperiorum a peſte ipſa attingerentur.

XXVI.

Venaeſectiones & purgantia, etiam in hiſce peſtibus euidentiſſime nocuerunt.

Chirurgi caſtrenſes, quos Jaſſiae inueni, omnes, ingenue fatebantur, venaeſectiones, quas, in initio peſtem ignorantes, & morbum, tanquam febrem aliam continuam tractantes, ſat crebro inſtituerint, nunquam effectum optabilem produxiſſe; ſed e contra, viribus vitae ſubito decreſcentibus, languorem mortalem preſſo pede inſecutum fuiſſe. Idem Moſcuae eueniſſe, palam erat; quamobrem a Collegio ſanitatis, mandato rigoroſo cautum fuit, ne barbitonſores, niſi ex praeſcripto Practici appro-

approbati venaeſectiones inſtituerent. Euacuatio haec ſanguinis, in multis morbis tam ſalutaris, vel ſaltem non tam euidenter noxia, tempore peſtis, tanta infamia inſignita fuit, vt ipſi quoque plebeii eam maxime reformidarent; dum toties viderent & audirent, etiam ſaniſſimos, qui vel proprio vel alieno conſilio, aut ſcopo praeſeruatiuo, aut jam in ipſis mali primordiis, venam ſibi ſecare, paſſi fuerint, mox male admodum habuiſſe, & plerumque ex peſte acutiſſima, omni exſpectatione citius, vitam finiiſſe. Hac tamen experientia luculentiſſima haud obſtante, interdum etiam a ſapientioribus, in hoc puncto grauiter erratum fuit. Sic, e. g. Generalis locum tenens de Stoffeln, Subofficiali cuidam juueni nobili, qui vna cum eo ſanus vegetuſque prandiderat, mox vero febricitare incepit, venam in brachio aperire imperat; aeſtum febrilem a multo motu (nam a mandatis ei fuit), productum ratus. Sanguine vero, vti a Chirurgo accepi, quoad colorem & conſiſtentiam illibato, ſed juſto diluriori, ad aliquot Vncias emiſſo, illico in ſummam debilitatem & anxietatem praecordiorum delapſus, eadem adhuc nocte exſpirauit. Caſus hic infauſtus, in manſione & ſub oculis huius belli Ducis contingens, animum eius tantopere commouit, vt luem jam dudum graſſantem, pro peſte vera (cui ſententiae tamdiu reluctatus fuerat), tandem agnoſceret. Subchirurgus legionis pedeſtris Nilouienſis, nomine Kilian, e caſtris in vicinum ſaltum, venationis gratia excurrit, & fortuito in cadauer humanum, in fruticeto latitans, incidit. Terrore perculſus reuenit, & febre corripitur. Quia Chirurgus legionis eiuſdem, vna mecum, Noſocomio peſtilentiali, IV. abinde leucas ruſticas diſtante, inſeruiret, nulluſque artis peritus adeſſet, Praefectus vigilum, bene ei cupiens, barbitonſorem, venaeſectionem adminiſtrare juſſit; quae vero itidem tam infeliciter ceſſit, vt jam altero mane, mors eius nobis nunciaretur. In ambobus breui ante obitum bubones crurales proſilierunt. Audiui ſane, Moſcuae, venaeſectionem, in adminiſtro, Noſocomii cuiuſdam peſtilentialis, vehementer delirante, cum emolumento celebratam fuiſſe.

 Sed,

Sed, vti de veritate facti dubitare nolo, ita etiam credo, aegrotum hunc, peſtis acutiſſimae ſpecie, quam ſub primo typo, exper. XXII. adumbraui, laboraſſe, in quo caſu forte ſalutaris eſſe potuerit. Ego, methodo ſupra tradita, optimo ſemper cum ſucceſſu, vſus, euacuationem hanc, maxime dubiam, inſtituere nunquam audebam, nec neceſſe habui.

Iidem fere effectus funeſti, quamuis nonnihil lentius inſequentes, ab vſu purgantium, vel laxantium praeſertim reiteratorum, promanarunt; nam omnes, qui in initio peſtis ea propinauerunt, vnanimiter aſſeuerabant, vires vitae, poſt exonerationes alui, quamuis modicas, ſemper euidenter concidiſſe; hinc, omnibus in peius ruentibus, aegrotos tales multo citius, quam alios in eodem ſtatu conſtitutos, e vita migraſſe, aut ſi morbus protraheretur, in diarrhoeam tamen tantopere pertimeſcendam, & nunquam fére non lethalem, incurriſſe. Quod vero eccoprotica leniſſima, in periodo infectionis, ſubinde ſine noxa vſurpata fuerint, ſupra, (exper. XVII.) indigitaui.

XXVII.

Prophylaxis principalis, in praecluſione omnis, (ſi fieri potuit) cum infectis, commercii, poſita erat. Imo in ſummo peſtis vigore Moſcuae, aedes multae populoſae circumſpectione ſollicita adhibita, ſartae tectaeque manebant.

In Moldauia jam dudum mos obtinuit, vt quamprimum peſtis in vrbe quadam ſeſe manifeſtauerit, Proceres & opulentiores, quotquot diſcedere poſſunt, in montes vicinos carpathicos, vel praedia ſua ſeſe conferant, ſumma cura ab aduenis alienigenis ſibi cauentes, imo mortem minitantes, ſi appropinquare audeant. Dum cum Noſocomio peſtilentiali, in montoſis circa Jaſſiam morabar, nocturno inprimis tempore,

pore, exploſiones tormentorum minorum in vicinia frequentes, audiebantur, quae ab, excubias ad vias & ſemitas agentibus, eo fine fiebant, vt omnes forte aduentantes conterrerent, & ab vlteriore itinere proſequendo, auerterent. Simpliciſſima hac, & omnium optima cautione, etiam permulti nobiles in Polonia & Ruſſia, eo cum ſucceſſu optatiſſimo vſi ſunt, vt, dum circumcirca, oppida & pagi ab infectione ſerpente depopularentur, ex eorum praediis nec vnicus deſideraretur. Etiam Moſcuae, flagrante peſte, Orphanotropheum magnum, vltra mille & ducenta capita continens, cura praeprimis Clariſſ. Mertens eius Medici, vti quoque plures aliae aedes particulares, numeroſis quamuis familiis & turbis domeſticorum, impletae, ab infectione tutae permanſerunt, dummodo portis clauſis, ab omni cum reliquis communione, ſummo ſtudio praecaueretur, & ad comparandas res maxime neceſſarias, non niſi exploratae fidei, ſerui mitterentur; reliquae quoque cautelae, mox deſcribendae, ſedulo in vſum traherentur.

XXVIII.

Vigiliae, quadrageſimae etiam quarantainae dictae, vtut multiplicatae & rigoroſae, tempore hoc belli, & in tanta frequentia peregrinantium, contagii, intra Imperii limites, & in Metropolin demum ipſam, propagationem, arcere non valuerunt. Nec luis jamjam manifeſtatae prompta exſtinctio, in ciuitatibus maioribus aeque facile, ac in minoribus, effectum dari potuit.

Quod peſtis in Moldauia, Wallachia & confini Polonia, tam rapide, longe lateque proſerpſerit, nemini certe mirum erit, qui tumultuarias belli conditiones, & impoſſibilitatem inhibitionis commercii, perpenderit. Mercatores, praeprimis Judaei, merces varias & alimenta, tum

tum quoque veredarii, commeatum aduehentes, in Poloniam reduces, malum, Jaſſiae, vel alibi, contractum diſſeminarunt; quod certe multo latius vagaſſet, niſi copiae Polonicae tempeſtiue, ad communicationem intercipiendam miſſae, vlteriori eius progreſſui limites poſuiſſent. Videbatur quidem contagium terminos Imperii Ruſſici, haud facile ſuperare poſſe, quia ad omnes vias publicas, quae ſolae itinerantibus patuerunt, reliquis omnibus ſub grauiſſimis poenis interdictis, jam dudum quarantainae, omnes cautelas ſtricte obſeruaturae, aderant, quae malo jam appropinquante, eo exactius inuigilare debebant. Fuerunt quoque illico poſt eius in Imperio apparitionem, praeter limitrophas haſce, quamplurimae aliae ſtatiuae, in omnibus viis maioribus locatae, quarum Praefectis, id negotii rigoroſiſſime demandatum erat, vt non ſolum in ſtatum ſanitatis tranſeuntium, per Chirurgos, ſine vlla exceptione ſollicite inquirerent, moramque plurium dierum, in domiciliis euacuatis, & a reliquorum conſortio ſeparatis, imperarent, ſed etiam omnes res aduectas, & quidem ſumme neceſſarias fumigarent, euentilarent, & quas licebat, aceto conſpergerent; reliquas vero vel tantillum ſuſpectas, comburerent. At, permultae nunc confluxerunt circumſtantiae, quae exquiſitiſſimas quamuis circumſpectiones, inſufficientes redderent. Exercitus ſecundus, poſt expugnatum fortalitium Bender, magnam quoad partem, in nouam & paruam Ruſſiam, reductus, vna cum ſpoliis peſtem ſecum adduxit. Ex alia plaga, eodem tempore Kiouiam, qua ratione incertum (vt dicebatur cum mercibus), ex Podolia immigrauit, & haud multum poſt in plurimis vrbibus tam paruae, quam magnae Ruſſiae, & demum Moſcuae apparuit. Permultae namque viae minores, tempore praeſertim hyemali, vndique patulae; infamis lucri cupido & aſtutia itinerantium, res ſuſpectas quouis modo celandi, in cauſſa fuerunt, quod peſtis, non obſtantibus tot tantiſque praecautionibus, progreſſus tam inſperatos faceret.

Peſtem

Peſtem progerminantem, in prima eius apparitione, ſuffocari & perfecte exterminari poſſe, perplurimae vrbes minores, e. g. Sewsk, Borowsk, Kolomna, Tula, &c. ſuis exemplis euicerunt. Magiſtratus nempe earum, vigilantia & rigore debito vtentes, domicilia infecta confeſtim ab omni conſortio cum reliquis, excubiis circumcirca ſtationatis, ſecluſerunt; mortuos & viuos, a peculiaribus hominibus conductis, illos ſepeliendos, hos cum cautelis neceſſariis in domiciliis ſeparatis proſpiciendos, curabant, omneſque res ſuſpectas, plerumque nec domunculis ligneis exceptis, igni conſumendas tradebant. In ciuitatibus vero majoribus, vtpote, Jaſſiae, Kiouiae & Moſcuae, praecautionibus hiſce juſtiſſimis, vtut in infantia mali poſſibilibus, in effectum plenarium ducendis, multae circumſtantiae, remoras infeliciſſimas iniecerunt, quarum potiſſimas, priuatum nempe commodum tot praeualentium ciuium, a declaratione peſtis detrimentum capiens, & incredulitatem fere vniuerſalem, a ſumme culpabili conniuentia, Medicorum & Chirurgorum, quamuis pauciorum ſuffultam, denominaſſe ſufficiat.

XXIX.

Cautiones & diſpoſitiones variae, quibus prophylaxis politica Moſcuae abſoluebatur, ſuam ſingulae ſymbolam, ad exoptatum finem aſſequendum, indubie contulerunt. Aſt, odioſiſſima illa ſuſpectorum aeque ac infectorum, in domos praeſeruatiuas dictas, & Noſocomia, detruſio, confuſiones maximas procreauit, nec ad deletionem peſtis obtinendam idonea videbatur.

Ex hiſtoria peſtis ſupra tradita liquet, quot & quales ordinationes ſalutares, a ſummo Regimine ſancitae fuerunt, quas hic loci, minutim perſequi ſuperſedeo, ne actum agere videar. Jam in ipſo

 initio,

initio, & praeſertim poſtquam malum inualuerit, omnia quae excogitari & vſurpari potuerunt, media conuenientiſſima, rigoroſe & prompte, in vſum trahebantur; obſtacula, quantum licuit ſummo niſu remouebantur; nec ſumtibus quantumuis magnis parcebatur. Quod vero ſcopus praefixus tardius & vix plenarie (partialia enim etiam in ipſo furore luis, ex juſtiſſimis praecautionibus redundantia commoda, quis negabit?) attingeretur, innumerae difficultates in cauſſa erant, quarum haud poſtrema, ex ipſo, mali, vt videbatur praeſentiſſimo praeſeruatiuo, progignebatur. Vtut nempe aequum imo neceſſarium in exordio luis, judicabatur, infectos & horum contubernio vtentes domeſticos, quamuis ſanos, a communione reliquorum ciuium arcere, & domos eorum, in quibus nihil non ſuſpectum erat, claudere, ne contagium vltra ſerperet; plebs tamen, calamitati huic inprimis obnoxia, cautionem hanc, quam rigoroſe ſummum Regimen exequi ſolebat, in tantum exhorruit, & tanto odio tulit, vt non ſolum infectos ſuos, ſed mortuos ipſos, non obſtantibus poenis, in contrauenientes, infligendis, quouis modo celaret. Quamprimum vero licentia domi permanendi concederetur, & non niſi pauperrimi, vel qui ipſi haud reluctarentur peſtiferi, in Noſocomia ablegarentur, tota facies rerum extemplo mutata fuit; nam praeter pacatiorem populi animum inde obtentum, denunciationes nunc ſpontaneae & fere vniuerſales fiebant; hinc infectis in ipſis mali incunabulis opem ferre licebat, & lues euidenter imminui incepit.

XXX.

Praeſeruatio ſpecialis, quoad res ſic dictas non naturales, haec mihi conuenientiſſima viſa eſt. Aër nempe in domiciliis, quantum fieri potuit puriſſimus & frigidus; minime vero humidus ſiue tepidiuſculus; cibus eupeptus; potus bene fermentatus, tenuis, reficiens; ſomnus modicus; motio-

motiones corporis aſſiduae; excretiones ſi minus obedientes fuerint, non niſi leniſſimis remediis mouendae; affectus vero animi grauiores angue & cane peius fugiendi.

Omni dubio caret, rationes, cur peſtis, in infimae praeprimis ſortis, rarius vero melioris conditionis homines, furorem ſuum exerceat, in erratis regiminis potiſſimum quaerendas eſſe; hinc operae pretium duxi, ſingula propoſitionis momenta, ſuccincte perſtringere.

Aër. Quantum interſit, vt pabulum hoc vitae vniuerſale, nunc dotibus, quantum fieri poteſt, ſaluberrimis praeditum, minime vero corruptum inſpiretur, vel exinde patet, quod contagii incubatio quaſi & prima eluctatio, ſemper in Noſocomiis, officinis & *habitaculis* arctis euenerit, progreſſuſque eius continuatus fuerit. Quamuis ſublatio inconuenientiae huius capitalis, praeſertim in vaſtis ciuitatibus, ardua omnino & vix in totum ſperanda eſt; attamen quia quoad partem ſaltem poſſibilis & ſumme neceſſaria eſt, omni ſtudio perſectanda erit. Monendi itaque, imo cogendi ſunt incolae praeſertim pauperiores, vt tempore peſtis, minime cumulatim, ſed quantum fieri poteſt, magis diſperſi, etiam in horreis, tabulatis, cameris frigidis & ſic porro, quouſque tempeſtas permittit, degant; aërem deprauatum, apertione crebra feneſtrarum, portarum & ſpiraculorum eiiciant, renouent; ſordes & illuuies ſumma adhibita diligentia remoueant; omneſque occaſiones, quibus aër corrumpi poſſit, ſolerter fugiant. Dumque experientia multiplex indubie euicit, humiditatem aëris, praeſertim cum calore conjunctam, ſummas & praeſentaneas afferre noxas, hanc ob cauſſam, adapertio feneſtrarum, coelo tantum ſereno, non vero tempeſtate nebuloſa vel pluuioſa fiat; ſed tunc igne luculento in fornacibus vel focis excitato, & ſuffimigiis mox deſcribendis, exſiccatio & renouatio eius, impetranda erit. Hanc ob rationem, nec ſuffitus vaporoſos, etiam aceti

ipſius; vel herbarum ſuaueolentium, fruticumque recentium in cubiculis locationem, vtut in conſuetudine ſint, collaudare poſſum.

Cibus. Alimenta, quibus quiſque aſſuetus eſt, etiam nunc conueniunt, dummodo nec in quantitate, nec qualitate peccetur. Recentia nimirum & facilis digeſtionis eſſe debent; ſemicorrupta vero, rancida, fumo indurata, farinacea & oleracea cruda, ſollicite vitanda ſunt, quia extra omnem dubii aleam poſitum eſt, atoniam ventriculi, ab indigeſtionibus productam, cauſſam peſtis occaſionalem plerumque praebere, & plebem, hanc quoque ob rationem creberrime corripi. Praeprimis nimia ciborum ingurgitatio, & inde producta expanſio ventriculi, ſumme periculoſa obſeruata fuit. Ad repletionem itaque nimiam praecauendam, conſultius erit, ſaepius de die cibos capere, nec ſine jentaculo modico foras exire. Nec fructus horaei, praeſertim non admodum maturi, auidius comeſti, ſuo caruerunt diſcrimine; nam haud paucos immediate pòſt correptòs, ſaburram eorum fermentantem, euomuiſſe vidi. Condimentum ciborum optimum, & quaſi inſtar omnium, ſal culinaris reputari debet, quamquam & alia conſueta, vti: Zinziber, piper, cinnamomum, allium &c. modum vero neutiquam excedentia, vtilitatem quoque haud ſpernendam, ad tonum ventriculi conſeruandum, & tam ſe - quam excretiones promouendas, praeſtauerint.

Potus. Prae reliquis prodeſſe videbantur: infuſum panis ſecalini biſcocti, vel leuiter toſti; Quaas (vulgare in Ruſſia potulentum, ex farina ſecalina & malto hordei, addita plerumque herbae menthae criſpae tantillum, peculiari encheireſi per fermentationem paratum); aqua fontana, cum aceto, ſpiritu aceti Ehrenreichii, vel vino ſincero acidulata. Infuſa quoque theae, coffeae, & chocolata, modice vſurpata aſſuetis bene conducebant. Cereuiſiae vero variae, hydromel & ſyrupi, flatulentias & noxas euidentiſſimas, ab acrimonia acida deriuandas, procrearunt, tonumque ventriculi, cuius tamen nunc maxima ra-

tio habendo, infregerunt. Vina quoque meraciora varia & aduſta, dummodo modice, pro diuerſa cuiuſue conſtitutione & conſuetudine ſumerentur, manifeſta vtilitate ſeſe commendarunt.

Somnus. Permulti ex infima praecipue plebe, quia nunc a laboribus conſuetis, ob omnimodam rerum perturbationem, vtplurimum feriarentur, deſidioſam vitam agentes, dormiendo tempus fallere ſolebant; eo ipſo vero, in atoniam ſolidorum prouoluti, & infectioni recipiendae aptiſſimi facti, numerum peſtiferorum jugiter augebant. Quapropter etiam hac in re, vtut leuidenſis videatur, haud parua circumſpectio neceſſaria eſt, nec ſomnus niſi moderatus, quantum ad refectionem corporis ſufficit, indulgendus erit.

Motiones corporis. Quantum exercitium corporis, ad infectionem jam admiſſam propulſandam valet, obſeruationibus luculentiſſimis, ſub experientia XVII. ſupra oſtendi; hinc de ſumma eius ad praeſeruationem vtilitate quis dubitet? Experientia vberrima manifeſto monſtrauit, ſegnes, torpidos & otioſos prae reliquis frequentius ignauiae ſuae poenas luiſſe; dum laborioſi e contra, in euidentiſſimo & perpetuo fere diſcrimine verſantes, vel rarius, vel plane non inficiantur; imo etiamſi infecti fuerint, multo tamen facilius liberentur. Non tamen neceſſe eſt, vt motiones tales, tumultuariae, moleſtae, & ſupra vires continuatae fuerint; ſufficit, vt ſint ſat aſſiduae, pro cuiuſuis robore & reliqua conditione aptae, & ſi fieri poteſt, jucundae.

Excretiones. Quamdiu ex ſtudioſa obſeruatione cautelarum hucuſque deſcriptarum, & robore corporis illibato perſiſtente, omnia ex voto ſuccedunt, natura ſibi ſufficiens, raro ſubſidiis aduentitiis eget. Si vero, ex quacunque demum cauſſa, vitium quoddam inſignius, in excretionibus maxime neceſſariis, ſequelas grauiores minitans, animaduertatur: tunc remediis conuenientibus, attamen ſemper leniſſimis, & maxima adhibita circumſpectione vtendum erit. Sic, acrimonia ventriculi acida & ſtranguriae, abſorbentibus & regimine antacido, feliciter

tollebantur; obſtructiones alui pertinaciores, eccoproticis facillimae operationis, e. g. radice rhei, ſalibus, tum quoque ennematibus, pro re nata iteratis, ſoluebantur; vitatis quae flatulentiam vel relaxationem primarum viarum inducere poſſent, qualia ſunt: manna, pulpa tamarindorum & caſſiae, pruna, vuae paſſae, oleoſa, mellita, ſyrupi & ſic porro. Praeprimis perſpiratio inſenſibilis, nunc maximam attentionem poſcebat, ad quam integram ſeruandam, motiones corporis; vitatio immunditiei; frictiones pannis laneis puluere fumali vel pyrio impraegnatis; abſterſiones cum aceto vel aqua frigidiuſcula (minime vero lotiones tepidae vel balnea, tot euidentiſſimis noxis infamia), proficua viſa ſunt. Quamprimum vero indicia luculenta, perſpirationem penitus ſuppreſſam indigitarent, tunc methodo, ſub exper. XVII. deſcripta, quantocyus reſtituenda erat.

Affectus animi. Vti in tot aliis peſtilentiae epidemiis, ſic etiam in hiſce, ſat ſuperque euictum fuit, omnia fortiora animi pathemata, praeprimis iram, terrorem & moeſtitiam, cum maximo ſemper diſcrimine coniuncta fuiſſe, & tanquam fomites, pro contagio recipiendo & in actum ducendo, aptiſſimos ſeſe praebuiſſe.

Nec minus periculi, ab exercitio venereo praeſertim fortiori & ebrietate prouenit. Melioris ſortis homines, plerumque ex talibus cauſſis lue peſtifera mulctabantur; hocque notabile admodum fuit, quod fere omnes tunc peſte acuta vel acutiſſima corriperentur. Tranquillitas vero animi, mens hilaris & regimen vitae ad cautelas hucuſque traditas conformatum, incolumitatem exoptatiſſimam, pro pretio moderationis praeſtarunt.

XXXI.

Qui propiorem vel frequentiorem cum peſtiferis conuerſationem aut attactum, vitare non potuerunt, vti: cognati, domeſtici, ſacerdotes, medentes, adminiſtri aegrorum, vere-

veredarii, fumigatores, & veſpillones, praeter ſtudioſam obſeruationem cautelarum hucuſque deſcriptarum, illis iniunctam, etiam ſpecialiſſimis adminiculis vtebantur, quo pertinent: odoramenta & ſuffimenta; roborantia & diaphoretica remedia; veſtimenta denique & inſtrumenta peculiaria.

Vt, omnes hi, qui ex officio peſtiferis inſeruire, auram eorum intimiorem haurire, & non ſolum res ab iis contrectatas, ſed etiam ipſa corpora eorum tam viua quam mortua, creberrime attingere debebant, ab infectione, quantum poſſibile, immunes ſeruarentur: varia, quae excogitari potuerunt ſubſidia efficacia, in vſum vocabantur. Generalis fere, & ſumma fiducia in aceto poſita erat, quod tam per ſe, quam cum diuerſis ſimplicibus praeparatum, & in opulentioribus, ſpiritus aceti Ehrenreichii, non ſolum pro odoramento (ſtrophiolo, ſpongia, pane &c. exceptum), aſperſione veſtimentorum, cubiculi & rerum ſuſpectarum, ſed etiam ad lauandas manus, variaſque corporis partes, vti, faciem, inguina, axillas; & pro potu cum aqua admiſcendo, aſſidue vſurpabatur. Chirurgi cautiores, poſt quaſcunque operationes, inſtrumenta, in vaſculum aceto impletum proiiciebant; alii vero, vt ipſe toties vidi, moram in deligationibus, a ſaepiore abſterſione auerſantes, circumſpectionem hanc ſaepiſſime negligere ſolebant. Caeterum, acetum in Noſocomiis peſtilentialibus, barbitonſoribus, adminiſtris & reliquis, cum ſpiritus frumenti altera parte, bis aut ter de die porrigebatur, juſculisque & potulentis eorum, ad gratum vſque ſaporem admiſcebarur; quod ipſum etiam multi extra Noſocomia factitarunt. Quae omnes adhibitiones vtilitate ſua vix deſtituebantur; ſaltem hoc nomine, quod animo fractis fiduciam erigerent, commendandae.

Suffimigiorum vſus, vti antiquiſſimus, ita in hiſce quoque peſtibus, generalis fere fuit. Materies eorum, pro diuerſa incolarum conſuetu-

ſuetudine, praejudiciis, & medentium conſiliis, varia omnino exſtabat. Moldauienſibus, tota fere praeſeruatio, in fumo vel mephitide potius quisquiliarum, praeſertim recrementorum animalium, oſſium puta, cornuum, corii, pilorum & fimi conſiſtebat. Subinde bitumen tenax, quod in montibus carpathicis copioſe prouenit, in eundem finem, vſurpatum vidi. Moſcuae, ſuffimigia publica, in initio peſtis quoque in vſu erant. In compitis nempe, & vndique extra domicilia, acerui lignorum abietis, pini & juniperi, vel ſecamenta eorum vuidula pice illinita, lento igne, comburebantur; in atriis vero & conclauibus, varia alia ſuffimenta gratiora, e. g. ex foliis & baccis juniperi, lauri, reſinis, puluere pyrio, & ſic porro, inſtituebantur.

Quanto cum ſucceſſu fere inſperato, quantiſque documentis irrefragabilibus, ſuffimigia a nobis in Collegio ſanitatis ordinata, praeſtantiam ſuam euicerint, jam in hiſtoria peſtis Moſcuenſis fuſius expoſui; hocque vnice dolendum eſt, quod non maturius in vſum tracta fuerint. Reſtat nunc, vt compoſitiones eorum, & methodum iis vtendi, tunc, in ſchedula idiomate ruſſico, publicatas, in medium proferam.

I. Puluis fumalis antipeſtilentialis fortis.

℞ Fol. Juniperi
Raſ. ligni guajaci
Baccar. juniperi
Furfur. tritic. ana ℔ VI.
Nitri crudi ℔ VIII.
Sulph. citr. ℔ VI.
Myrrhae ℔ II.
m. f. ſ. a. puluis fumalis.

II. Puluis fumalis antipeſtilentialis mitior.

℞ Herbae Abrotani ℔ VI.
Fol. junip. ℔ IV.
Baccar. junip. ℔ III.

Nitri

Nitri crudi ℥ IV.
Sulph. citr. ℥ II. ß.
Myrrhae ℥ I. ß.
m. f. ſ. a. puluis fumalis.

III. Puluis fumalis antipeſtilentialis odoratus.

℞ Calami aromat. ℥ III.
Olibani ℥ II.
Succini ℥ I.
Styrac.
Flor. roſar. ana ℥ ß.
Myrrhae ℥ I.
Nitri crudi ℥ I. vnc. VIII.
Sulph. citr. vnc. IV.
m. f. ſ. a. pulv. fumalis.

Prima formula ad fumigandas aedes ipſas, & res quaſcunque valde infectas, laneas, pelliceas, coriaceas & ſic porro; ſecunda, ad domos & materias tantum ſuſpectas, & delicatiores, quae a fumo craſſiori & valde ſulphureo vitiari poſſent; tertia vero, pro ſuffimigio in domibus habitatis, ſcopo praeſeruatiuo adhibebatur. Fumigatores, propriis in hunc finem inſtrumentis inſtructi, ſupellectilia ex ſcriniis, riſcis, vel vbicunque latuerint, cum circumſpectione praeſcripta, protracta, & reliqua, quae libera erant, ſufficienter explicata, funibus intenſis; clauis parietibus impactis; ſcamnis & menſis, impoſuerunt. Tunc, lebeti vel ollae grandiori, prunis ardentibus ſupra medietatem impletis, & in medio conclauis collocatis, portione ſufficiente pulueris indita; feneſtris quoque, portis & reliquis ſi quae aderant, aperturis occluſis, prompte recedere debebant. Operatio haec, in domibus emortuis, per quatuor dies, mane & veſperi reiterabatur, apertis ſemper in anteceſſum portis

 & fe-

& feneſtris, quo fumus prior euolare poſſent. In leuiter infectis, vel ſolum ſuſpectis, duobus nycthemeris, negotium purificationis abſolue-batur. Res tales fumigatae, tranſitui aëris libero, ſaltem per hiatus ampliores, ſpatio duarum ſeptimanarum expoſitae, vel in aura aperta euentilatae, & frigoris vim expertae, poſtea ſine vllo diſcrimine, tanquam innocentiſſimae tractabantur, nec vnicum exemplum nouae infectionis exſtabat. Puluis antipeſtilentia'is odoratus, tam loco ſuffimenti ordinarii in domiciliis, quam etiam ad depurandas res varias, halitus ſulphureos denſiores vix ferentes, in frequenti vſu erat.

Praeter regimen vitae, in experientia praecedente deſcriptum, ſcrupuloſe obſeruatum, quamdiu cum peſtiferis cohabitaui, roboranti-bus quoque & diaphoreticis lenioribus, etiam ſine indiciis infectionis factae, ſcopo praeſeruatiuo vtebar, & reliquis mecum degentibus, cum ſucceſſu impertii. Remedia vero fere eadem, ac in periodo infectionis ſub exper. XVII. collaudaui, fuerunt. Praeſertim ſpiritus nitri dulcis, a guttis XX-XXX. ex aqua frigida aliquoties de die ſumtus, ſe tantopere commendauit, vt, an aliud in hoc ſtatu magis vtile remedium detur, dubitauerim. Nam correctio faſtidii; appetitus ſi laeſus fuerit rediens; augmentum virium tam mentis quam corporis, & lenis diaphoreſis, de ſalutari eius efficacia ſat luculenter teſtabantur.

Moſcuae, pro adminiſtris Noſocomiorum peſtilentialium, fumigatoribus & veſpillonibus, chirothecae, & amicula lintea piceata, ſumtibus publicis tanta copia parabantur, vt ad ſaepiorem commutationem ſufficerent. Rigoroſe illis mandatum erat, vt quibus vſi fuerunt, in aquam probe ſalitam illico coniicerent, mox vero exſiccata & euentilata, ſuffumigarent. Et ne praeter neceſſitatem, corpora & ſuppellectilia mortuorum, nudis manibus contrectarent, inſtrumentis variis, vti: forcipibus, vncis, palis, feretris, funibus, curris & ſic porro inſtruebantur. Medici & Chirurgi, infectos continuo viſitantes, veſtimenta quotidie mutare, euentilare, aceto conſpergere, & ſuffumigare ſolebant.

Quan-

Quando pulſus tangendus erat, tunc nonnulli folium nicotianae, mox reiectandum, interponebant.

XXXII.

Fumus tabaci per fiſtulam ſuctus; vti quoque fonticuli; ad praeſeruationem vtiles omnino videbantur, quamuis etiam exempla pauciora ſucceſſus irriti non defuerunt. De amuletis & aliis remediis prophylacticis, nihil certi mihi innotuit.

In Moldauia omnes lautioris conditionis homines (nam plebs aeque ac in Ruſſia, tabaci fumo haud delectatur), fiſtulas continuo ſugebant, & Moſcuae quoque, tempore peſtis, mos hic apud honoratiores, multum inualuit; in vtriſque vero locis, ex illis pauciſſimi ſolum, reſpectu pauperiorum, peſtem contraxerunt. Medici & Chirurgi qui medio hoc prophylactico vtebantur, rarius omnino inſultus peſtis experiebantur, & facilius liberabantur, quam qui illud deteſtabantur; quod proprio meo exemplo confirmare poſſum. Ineſt namque tabaco, praeter narcoticam & ſtimulantem, etiam vis manifeſta, ad tranſpirationem & ſudores diſponens, quam in aggreſſu peſtis, ad miaſma e corpore foras propulſandum, ſumme proficuam futuram, nemo facile negabit. Nec obſtat, quod vnus vel alter tabaci amator occubuerit, dum tot aliae cauſſae, infectionem & mortem ineuitabiliter accelerantes, in hiſce praeualere potuerunt. Aſſertioni quoque poſitiuae Diemerbroeckii, Loimographorum certe grauiſſimi, & autoptae expertiſſimi, omnem fidem denegare, religioni habeo.

De fonticulis idem valet. Moſcuae, ex magno numero nobilium, medentium & aliorum, qui aperturas haſce ſibi infligi curauerant, & debito modo fluentes ſeruarunt, nemo, quantum mihi conſtat, deſiderabatur; exceptis nonnullis Chirurgiae tyronibus, in quibus ante in-

greſſum in Noſocomium peſtilentiale excitati quidem fuerunt; ſed immediate poſt balnei vſum correpti diem ibi obierunt ſupremum.

Quod ad amuleta, & media prophylactica reliqua attinet, quorum haud parua ſeries apud ſcriptores de peſte exſtat, vix aliqua cum ſucceſſu euidenti vſurpata ſcio. Theriaca veneta, qua omnes opulentiores Moldauienſes inſtructi ſunt, & ad quam, tanquam ſacram anchoram confugere ſolent, nihil ſingulare praeſtitit, & permulti ea vt ntes, indiſcriminatim infi.iebantur. Nec defuerunt Moſcuae, agyrtae, qui varia etiam vſualia, ex Pharmacopoliis coëmta medicamenta, ignaro, & ſalutem ſuam anxie inhianti vulgo, thraſonicis encomiis oſtentata, caro pretio, tanquam arcana infallibilia, reuendebant, quorum vnum, Elixirio proprietatis Paracelſi, ſed valde diluto, haud parum lucraſſe audiui. Multis quoque allium in vſu frequenti erat, quo non tantum cibos condiebant, ſed etiam jeiuno inprimis ventriculo, cum hauſtulo ſpiritus vini aut frumenti, portionem paruulam contritam ingurgitare ſolebant. Sed cuidam Moſcuae incolae, praeſeruatio haec male omnino ceſſit; nam, multo abundantius, quam fas erat, maioris omnino ſecuritatis gratia, illud deglutiens, mox in peſtem acutiſſimam delapſus, breui e vita migraſſe narrabatur.

Hiſto-

HISTORIAE MORBORVM.

I.

Subcenturio legionis praetorianae equeſtris, Palibin, dum Moſcuae, in Palatio Imperiali, veſpera quadam, vna cum ſociis, vt videbatur ſanus & laetus conuerſatur; derepente, vibrationes ſumme doloroſas, praeſertim in axilla ſiniſtra, perſentiit. Breui poſt, caput vertigine doloroſa occupari, & guſtus oris amareſcens reddi incepit. Infectionem, quae illis ipſis diebus, in comitatu noſtro ſeſe jam manifeſtauit, haud ſine ratione ſuſpicans, eamque aliis communicare verens, e ſocietate reliquorum clanculum ſe ſubduxit, & totam noctem, inſomnis & ſumme inquietus in horto, deambulando fere, tranſegit. De ſtatu eius valde ſuſpecto certior factus, eum ſummo mane adii; nullam vero adhuc febrem, ſed intumeſcentiam doloroſam, glandulae ſubaxillaris dextrae, cum reliquis jam denominatis ſymptomatis, inueni. Perterritum itaque bono animo eſſe juſſi, & in conclaue quodam hortulani quieti ſeſe accommodanti CXX. guttas mixturae ſimplicis, cum ſufficiente quantitate infuſi theae, propinaui, & reliquum quoque regimen (exper. XVII.) ſtricte inculcaui. Poſt paucas horas eum reuiſens, ſudorem copioſum, tenacem prorumpentem animaduerti, qui per tres quatuorue horas continuatus, leuamen fere perfectum attulit. Altero mane, ſecuritatis plenariae, (vt dixit) gratia, doſin remedii heſterni iterandam, ipſe efflagitauit, cui petitioni lubenter ſatisfeci; at ſudor nunc iam multo tenuior & parcior prouenit. Germen bubonis, fomento aceti quoque in ſubſidium vocato, eodem die prorſus euanuit, patienſque quoad omnia ſanus vegetuſque factus, quarto jam die, ex mandato Principis Orlow, in conſortium reliquorum, cautelis tamen neceſſariis in vſum vocatis, admittebatur.

II.

Adiutor (Adjutant) Principis Wolkonskoi, Aſorgin, improuiſo, magnam congeriem macularum fuſcarum, ſine omni tamen ſenſu moleſto euergentium, in anteriore & media parte cruris dextri, obſeruauit, ipſe tunc adhuc nihil morboſi ſentiens. Altero vero die, jam male, praeprimis a doloribus capitis, quamuis non admodum acutis, habuit; hinc me accerſiuit. Inueni linguam valde inquinatam, patiensque de guſtu fatuo & quaſi farinoſo conquerebatur; pulſus vero minime febrilis, quin potius tardus erat. Author ei fui, vt incontinenti lectum peteret, & doſi mixturae ſimplicis ordinaria (ſcilicet CXX. guttas), cum infuſo theae exhibita, pulſus mox concitatus & febrilis ſiebat; at, ſudoribus viſcoſis vberrimis elicitis, jam veſperi eiuſdem diei, omnia in melius permutata fuerunt. Nihilominus diebus proxime inſequentibus, ſpiritus nitri dulcis, guttas XXX. quouis quadrihorio, cum regimine exacto, ſumebat. Regio macularum, ecchymoſin quaſi inſignem referens, eodem fomento aceti tractata, paullatim ex liueſcente, rubra, & ſenſim dilutior rubeſcens, tandemque luteſcens facta, ſpatio IV. dierum, colore naturali potiebatur.

III.

Generalis locum tenens de Stoffeln, longe ante inuaſionem peſtis lentae, variis infectionis leuioris accidentibus, moleſtabatur. Dum die X. Maii Jaſſiam adueni, jam de ardoribus vrinae, tempore inſolito, anorexia, & doloribus vibrantibus ſubinde tam vehementibus, vt clamorem inuito quaſi extorquerent, aſt momentaneis, & inordinate reuertentibus, conquerebatur; quae tamen aliis omnino cauſis tribuit, tanquam leniora, peſtem vix redolentia ſpreuit, nulliſque plane ſubſidiis vti voluit. Die XXIII. eiuſdem menſis hora tertia pomeridiana, horripulationibus afficiebatur ſenſim ingraueſcentibus, quas deambulando profligare conabatur; nec admonitionibus meis vt lectum peteret, ante quam hora

hora veſpertina nona, tremoribus jam grauiſſimis ſuperuenientibus, obtemperauit. Quia prima doſis mixturae ſimplicis, nulla ſudoris indicia prouocauerit, poſt duas circiter horas, altera quoque propinata fuit, quae per noctem ſat intranquille peractam, madorem quidem aliqualem produxit; at horripilationes cum calore alternantes, vſque ad ſeptimam horam matutinam, perdurarunt. Pulſus nunc multo plenior, ſed non valde frequens, lingua albeſcens & calor externus modicus obſeruabatur; caeterum, praeter dolores capitis, regionem occipitalem praecipue occupantes, nulla grauiora incuſabat incommoda; qui etiam poſt fomentationes, ex aceto, cum tertia parte ſpiritus vini camphorati admixta, crebro adhibitas, ſenſim ceſſarunt *). Dum malum profundius radicatum, ſudoriferis vix amplius ſuperandum fore, apparuit, pulueres ſalini ex tart. ſolub. & ſal. polychreſti ana gr. XV. quouis bihorio, cum infuſo panis, quod pro potu ordinario ipſe elegit patiens, (potulenta enim acidulata quaeuis, quaſi naturae ſuae penitus contraria, moroſe reſpuebat) diebus duobus inſequentibus, exhibebantur, conſpicuo certe cum ſucceſſu; nam febris ſine vllo ſymptomate grauiore, curſum ſuum ſat placide emetiri videbatur; clyſma quoque emolliens, ad aluum adſtrictam, intumeſcentem, & borborygmis crebris ſonoram, ſoluendam, quotidie verſus noctem iniiciebatur. Die XXV. mixtura temperans ex decocto hordei, cum ſalibus mediis & ſpiritu Mindereri, loco pulüerum, quos jam faſtidiit, praeſcribebatur, poſt cuius alteram exhibitionem, oborta nauſea,

*) Lenitas haec ſymptomatum, exitii eius, cauſſa certe principalis exſtitit. Nam quamuis ſedulo adhortarer, ut curam imperii militaris, in turbulentiſſimo hoc rerum ſtatu, ſi vnquam intricati, alteri Generali traderet, & propriae ſaluti vnice intentus eſſet; attamen morbum ſuum haud juſte taxans, omnes officii ſui partes, quantum potuit, cum perpetua fere animi inquietudine, & indignatione creberrima coniunctas, agere, & totos, fere dies, in lecto ſedendo, mandatis & relationibus dictandis, ſubordinatoſque indiſcriminatim admittendo, ad paucas vſque ante mortem horas, continuauit.

nauſea, ſaburrae biliofo-viſcoſae aeruginoſae, haud multum euomuit; maiorem itaque eius copiam in ventriculo deliteſcentem ſuſpicans, pulv. rad. Ipecac. drachmam ſemis, dedi, ſed praeter potulenta ingeſta, nihil excernebatur. Hucuſque de ſignis pathognomonicis peſtis, (quae celare voluit) mihi adhuc haud certe conſtabat, quamuis de iis ſaepiſſime ſermones miſcere, & inſpectionem corporis. efflagitare, vix praetermiſerim. Mane demum diei XXVI. ſe tumorem ſub axilla ſiniſtra ſentire fatebatur, qui vero mobilis adhuc, nulla inflammationis ſigna prodidit; hanc ob rationem cataplaſmata maturantia haud interrupte, & noctu empl. diachyl. c. gumm. imponebantur. Hoc & ſequenti die omnia reliqua medicamenta auerſans, proprio conſilio, puluerem antiſpaſmodicum St. ſaepiuſcule ſumſit. Die XXVII. poſt grauem, ex altercatione cum proceribus Moldauiae quibuſdam, iracundiam, aeſtus febrilis cum rubore faciei & pulſu duro, mox intermiſſiones irregulares prodente, admodum efferuere, & omnia in peius mutari inceperunt; poſt reiteratum vero vſum pulueris ſequentis: ℞ pulv. rad. contray. gr. XV. Moſchi orient. gr. IV. irregularitas pulſus corrigebatur; aſt vires vitae jam manifeſte deficiebant. Quapropter juſcula gallinacea, & vini parum cum infuſo panis ad refectionem, vti quoque cortex peruuianus, aſſidue propinabantur. Jam ad marginem inferiorem muſculi pectoralis maioris, duos circiter digitos tranſuerſos a ſubaxillari, alter bubo, ſed minor, itidemque mobilis, protuberauit. Die XXIX. mane, pulſus valde intermittebat; mador corporis ſymptomaticus prorupit, cuticula ex bubonibus, cataplaſmatis & emplaſtris tractatis ſecedit; ipſi vero imobiles, ſine vllo incremento, vel coloris naturalis mutatione, reſtarunt. Nihilominus patiens, quamuiſi jam valde debilis eſſet, ab occupationibus ſolitis, jam vltra vires continuatis, vix deſtitit, donec hora pomeridiana quinta, in delirium mite delapſus, vndecima eiuſdem noctis, animam placide redderet.

IV.

IV.

Miles gregarius, annorum circiter XL. ſat robuſtus, bubone crurali, petechiis, & inſupra exanthematibus eleuatis lentiformibus liueſcentibus, inſignitus, incerto morbi die, in Noſocomium peſtilentiale adducitur. Calor externus fere exulans, delirium, diarrhoea incipiens, & exilitas pulſus, ſtatum eius conclamatum indigitare videbantur. Infuſo panis cum ſpiritu vitrioli impraegnato, & clyſmatibus talibus, vti quoque cortice peruuiano, vna cum maturantibus externis, aſſidue vſurpatis, diarrhoea ſubſtitit, pulſuſque eleuari, & bubo emolliri incepit. Inciſione, die aduentus quarto, peracta, ſtillicidium copioſum ſanguinis pallidi & diſſoluti, ex tota peripheria vulnuſculi inſequebatur, quo, per deligationem cum vnguento digeſtiuo, cui vitriolum de cypro admiſtum erat, cohibito, ſuppuratio bubonis, methodo exper. XIX. deſcripta, ſtabilita, criſin perfectam attulit. Maculae paullatim, rubeſcentes & pallidae factae, paucorum dierum ſpatio prorſus diſparuerunt, aegrotusque, poſt conſolidationem bubonis, ſat cito obtentam, praeter ſpem, ſanitatem priſtinam recuperauit.

V.

Altero jam aduentus mei in Jaſſiam die (XI. Maii), variis infeſtabar, infectionis leuioris affectionibus, vti: guſtu deprauato, anorexia, laſſitudine inſolita, doloribus capitis &c. quas vero, ſpiritus nitri dulcis XL. guttis, cum infuſo theae, cubitum iturus, hauſtis, poſt largum inſequentem ſudorem, feliciter fugaui, & dein, tanquam ſanus, & ad quaeuis negotia perficienda aptus, nulla omnino incommoda perſentii. Die vero XXVI. poſt meridiem, horripilationibus, cum mox inſequente calore febrili, ſat magno, & reliqua peſtis acutae primordialium ſerie (exper. XX.), glandula quoque crurali dextra, nunc inſigniter intumeſcente & dolente, corripiebar; quam ob cauſſam, mixturae

ſimplicis guttas CXX. cum ſufficiente copia infuſi theae calidi illico ſumſi, & ad ſudandum me compoſui; eo omnino exoptato cum effectu, vt dolor capitis, guſtus vitiatus, lentor ſaliuae, & calor febrilis, vna cum ſudore profluente ſenſim remittentes, verſus alterum mane in totum exularent. Hinc, iterum reſtitutus, & multo alacrior quam antea factus, occupationibus ſolitis incubui. Die vero quarto Junii, dum hora matutina nona, peſtiferos in Noſocomio peſtilentiali viſito, & pulſum aegri valde periculoſe decumbentis, exploro, ſubito dolore acutiſſimo pungente, in indice dextrae manus, quaſi fulmine, tactus ſui. Digitus in inſtanti valde intumuit, ita vt eum flectere neutiquam poſſem, abſque tamen vllo rubore; ſenſusque velut ex contuſione grauiſſima, ſumme dolorificus, excitatus fuit. Mox dolores fugaces, ad tractum neruorum & vaſorum bracchialium verſus axillam, muſculum deltoides & pectoralem maiorem, & abhinc in glandulam cruralem extemplo intumefactam, more ſolito vibrabantur. Poſt interuallum horae circiter dimidiae, guſtus ex ſalino fatuus & breui amareſcens, ſaliua quoque viſcida & ſpumoſa fiebat, lingua albeſcens intumuit, & dolor capitis inſtabat grauiſſimus. Glandula cruralis nunc augmentum citiſſimum capiens, dolere incepit, & horripilationes leuiores vagae, febrem preſſo pede ſuccedentem annunciarunt. In lectum itaque me recipiens, mixturae ſimplicis guttas CXX. ex infuſo theae hauſi, eiuſque vaſculum vnum alterumue tepide ſenſim ſuperbibens, ſufficienter contectus & capite quoque obuelatus, ſudores, nunc difficilius ac antea prorumpentes, praeſtolabar. Febris primis duabus horis ſat exarſit, vſque quo ſudor paullatim promanans, aeſtum eius ſedaret; quia vero nondum penitus ceſſaret, & ſymptomata reliqua quamuis leuiora facta, adhuc continuarent, eadem veſpera, alteram doſin mixturae ſimplicis ſumſi, & haud multo poſt, in profundum & tranquillum ſomnum incidi, ex quo hora quarta altero mane, expergiſcens, me totum ſudore copioſiſſimo, acidum ſpirante, & ita viſcoſo, vt vndique

dique ſordes, pellicularum inſtar, ex ſuperficie corporis, digitis abradendae eſſent, perfuſum animaduerti, & quoad omnia perfecte alleuatum ſentiens, ſumma perfundebar laetitia; Deo, gratias, pro liberatione, deuotiſſimas perſoluens. Poſt aliquot horarum quietem, ſudoris reliquiis, per lintea tepida, abſterſis, e lecto ſurgens, & induſii manicam, lauandi cauſſa, replicans, inopinato, in conſpectum mihi venit, puſtula, phaſeoli magnitudinem aequans, in extremitate inferiori antibracchii dextri, ichore albido turgens, marginibusque circumcirca, vti in carbunculis humidis ſolet, inflammatis. Mirabar certe, quod nullo doloris ſenſu, niſi ad attactum, grauarer. Chirurgo itaque accerſito, eam, vti nobis conſuetum erat, crebris inciſionibus, haud tamen profundis ſcarificare, & vnguento digeſtiuo, ſale ammoniaco maritato, deligare curaui. Suppuratio ſat larga, per tres dies continuata, vlcuſculi depurationem citam, promouit, at epuloticis adhibitis, breui cicatricem induxit. Ipſe, toto hoc curationis interuallo, ita nihil a ſanitate alieni, perſentii, vt relationibus, epiſtolis & annotationibus conſcribendis erecto animo, vacare potuerim. Occupationes conſuetas, maiori cum fiducia repetens, nullos amplius infectionis manifeſtae inſultus, quouſque peſtiferis interſui, experiebar; exceptis reliquiis hiſce valde notabilibus. Digitus index, per totos quatuor inſequentes menſes, tumidiuſculus (quamuis gradatim minus) perſtitit, nec ſine doloris ſenſatione inflecti potuit; tumore demum quamuis plane diſcuſſo, ſenſatio tamen ſingularis & nimis ſubtilis, per plurimos annos protracta, reſtitauit; ita vt jam Moſcuae praxin medicam exercenti ſaepiſſime accideret, ſi pulſum aegroti in acme febris malignae conſtituti tangerem, illico dolorem plus minuſue pungitiuum, in indice perſentirem, qui interdum ictus electrici inſtar, per tractum neruorum bracchialium, in regiones ſubaxillares & inguinales vibrabatur; nihil vero mali vlterioris, vnquam exinde expertus ſum. Idem quoque diu poſtea euenit, quoties aduerſaria mea, in peſte exarata, & in ciſta peculiari recluſa, quamuis plus ſimplici vi-

ce

ce aceto irrorata, & euentilata fuerint, peruoluerem. Alterum accidens itidem per quaſdam ſeptimanas me infeſtans & ſaepiuſcule rediens, fuit, amarities oris, improuiſo, & incertis periodis, vtplurimum vero mane, poſt potum theae vel coffeae, tum ſubinde inter prandendum, vel immediate poſt, inuadens. Praeter guſtum felleum, ſaliua quoque tunc viſcoſa & ſpumoſa fiebat, & ſi ſtatus hic longius protraheretur, jam caput dolere incepit, imo nauſea quandoque ſuperuenit. In initio, acidis mineralibus, praeſertim ſpiritu vitrioli ex aqua frigida hauſtis, accidens hoc moleſtum, & grauiora minitans, propulſaui, donec fortuito, effectum praeſentiſſimum, ex ſale cryſtallino in ore detento & deglutito, animaduerterem. Toto hoc tempore, vſque ad frigores autumnales, glandula cruralis dextra, parum tumefacta, & ad tactum rudiorem ſenſibilis permanſit.

VI.

Suboffícialis quidam juuenis, & habitu corporis repleto praeditus, bubone ſubaxillari, & reliquis ſymptomatibus peſtis acutae affectus, dum Noſocomium peſtilentiale ingreditur, haud periculoſe aegrotare videbatur. Vires nempe ſat conſtabant; febris quoque vix modum excedens ſine delirio, pulſus plenus, bubo eleuatus, & reliqua omnia indicia exitum fauſtum pollicebantur; methodoque vſitata, in reliquis ſat proſpere ſuccedente, tractabatur. Die vero morbi quarto eum viſitans, ſputa copioſa ſanguinolenta viſcida & quidem liberrime exſcreantem, caeterum tamen lecto firmiter inſidentem, & ad omnia rite reſpondentem offendo; nec ſigna mortis tam propinquae detegere potui, quae tamen poſt interuallum horae mihi nunciabatur.

VII.

Adiutor Generalis locum tenentis de Stoffeln, Chamutow, laute prandens, & vix e menſa conſurgens, quamuis hucuſque ſaniſſimus, dere-

derepente peſte acutiſſima corripiebatur, ſymptomatibus eius, breuiſſimo temporis ſpatio valde ingruentibus. Horripilationes namque cum calore alternantes, dolores capitis acutiſſimi, oculorum & reliquae faciei intumeſcentia cum rubore profundo, ſiccitas linguae, pulſus plenus, durus, celerrimus & ſic porro, derepente admodum, & tumultuarie quaſi inſtabant; praeſertim anxietate incredibili excruciabatur. Quia ſtomachum repletum neceſſario exonerandum eſſe, judicauerim: emeticum ordinarium (exper. XXI.) confeſtim propinaui, & dum poſt quadrantem horae, nullus effectus inſequeretur, etiam alteram ingeſſi; fauces quoque pluma irritare, & aquam tepidiuſculam cum olei lini pauxillo, ſuperpotare, curaui, donec poſt multas nauſeas & vomituritiones irritas, vberrima ingeſtorum & ſaburrae pituitoſo-bilioſae quaſi fermentantis, per plures vices repetita euacuatio, ſolatium praeſentaneum afferet. Ex tanta turba ſymptomatum grauiſſimorum, & conatibus vomendi difficillimis, in debilitatem ſummam delapſus, frictionibus per totum corpus inſtitutis, odoramentis, juſculis carnium & ſpiritu nitri dulcis ſaepiuſcule exhibito, excitandus, reficienduſque erat; quae omnia ita feliciter peragebantur, vt patiens, me jam illa ipſa veſpera, ore laeto alloqueretur. Interea pruritus & inflammatio incipiens in ſura dextri pedis, carbunculum minabatur; accepto vero ſudorifero, febris, & omnia reliqua ſymptomata, jam altero mane, perfecte profligata fuerunt, reliquiae quoque inflammationis, fomento aceti tollebantur.

VIII.

Pediſſequus Generalis locum tenentis de Stoffeln, breui antea, in peſtem itidem acutiſſimam implicatus, forte a morte liberatus fuiſſet, ſi methodus mox deſcripta, jam tum mihi innotuiſſet. Nam nullum a ſudorifero quamuis fortiore, vel a potu, cum ſpiritu vitrioli probe acidulato, copioſo, leuamen percepit; e contra angoribus ſummis inualeſcentibus, tandem in delirium furioſum redactus, ſpatio XX. horarum,

quaſi apoplecticus obiit. Symptomata eadem ac in praecedenti. Poſt mortem veſtigia bubonis cruralis proſilientis, cute ſupra eum liueſcente, deprehendebantur.

OBSERVATIONES.

I.

Phaſes lunae, nullum notabilem in peſtem influxum habere videbantur.

II.

Tempore peſtis tam Jaſſiae quam Moſcuae, fructuum horaeorum & vuarum in priori loco, vberrimus prouentus fuit.

III.

Vulneribus & vlceribus, quamuis maioribus & largiter ſuppurantibus laborantes, a peſte neutiquam immunes erant, ſed promiſcue inficiebantur. Primi carbunculi in Noſocomio militari Jaſſienſi, in ipſis vulneribus obſeruati fuerunt. Peſte ingruente vulnera areſcunt, & ſuppuratio illico ceſſat; in illis, qui luem ſuperant, iterum proueniens.

IV.

Mulieres praegnantes peſte correptae facile pariunt, & immediate poſt partum melius ſe habere videntur; at, breui ex haemorrhagia vteri pereunt.

V.

In gonorrhoea virulenta affectis, poſt ingreſſum peſtis, fluxus ceſſat, vna cum conualeſcentia vero redit.

VI.

Infantes teneriores peſte tacti ſaepe comatoſi fiunt, & conuulſionibus torquentur, quae ſymptomata in aetate prouectioribus rarius occurrunt.

VII.

VII.

Qui recidiuas patiuntur, omnia ſucceſſiue mitiora experiri ſolent.

VIII.

Contagium ab iis ſolum, qui in acme peſtis conſtituti ſunt, propagari videtur; nam ex reliquis, qui in periodo infectionis, vel initio peſtis ipſius, per criſin ſalutarem, e periculo erepti fuerunt, nulla vnquam infectio in alios ſerpens, obſeruata fuit.

IX.

Qui in periodo infectionis diutius verſabantur, ſemper periculoſe decumbebant; e contra, qui derepente, peſte ipſa, vtut grauibus ſymptomatibus ſtipata, afficiebantur, multo facilius per remedia conuenientia liberabantur.

X.

Peſte jam adulta detenti, tactus organum valde obtuſum habent, adeo vt vellicati, vel alio modo rudius tractati (vti in Noſocomiis tunc vitio haud corrigibili ab adminiſtris taedioſis fieri ſolet), nullum fere doloris ſenſum, etiam extra delirium verſantes, prodant.

XI.

Communiſſima infectionis via per contactum obſeruata; quamvis etiam per inſpirationem & ingeſta fieri, indubium ſit.

XII.

In peſte acuta & acutiſſima, tempore eruptionis bubonum & carbunculorum, ſymptomata ſemper exacerbantur.

XIII.

In nonnullis qui ſigna manifeſta infectionis factae, vtpote rudimenta bubonum & exanthemata liuida lata (carbunculorum ſiccorum praecur-

praecurſores) jam geſtarunt, nec de periculo ſummo dubitarunt; indolentia tamen, & mortis imminentis contemtus, in hoc ſtatu funeſto vix credibilis obſeruabatur.

XIV.

Immediate ante inſultum peſtis acutiſſimae, appetitus praeternaturaliter adauctus eſſe ſolet.

XV.

Quidam, ſe odorem nauſeoſum inexprimibilem, in momento inuaſionis peſtis acutiſſimae, ſe naribus percepiſſe, aſſeuerarunt.

XVI.

Ex peſte conualeſcentes, multo facilius & citius, quam poſt febres malignas, robur & priſtinam ſanitatem recuperant.

XVII.

In quibuſdam carbunculis inſignitis, eodem tempore, vlcuſcula, quaſi cancri venerei in glande penis enaſcebantur, in quibus vero ſphacelus nunquam inſequebatur.

XVIII.

Poſt reſolutionem bubonum, interdum furunculi copioſi, in variis corporis partibus oboriuntur.

XIX.

Ex inciſione praecoci bubonum, nondum in maturationem redactorum, immoderatus ſaniei fluxus inſequens, ſubinde tabem & mortem accelerauit. In aliis labia vulnerum & partes adiacentes ita indurruerunt, vt etiam optimis emollientibus, ſuppuratio difficile admodum prouocari potuerit.

XX.

XX.

Fomentationes ex aceto, ad reſolutionem bubonum & carbunculorum, maximo cum emolumento adhibebantur. Si vero reſolutio attingi non potuit, tunc ex eorum vſu prolongato, ſuppurationis negotium, jam multo tardius proceſſit.

XXI.

Haemorrhagiae narium, in ipſo initio peſtis aliquoties ſalutares; in morbo vero adulto plerumque lethales exſtiterunt.

XXII.

Carbunculi in collo grandiores, intumeſcentiam partium adiacentium immanem; & breui ſtrangulationem aegri producunt.

XXIII.

Interdum bubones in medio crure propullulant.

XXIV.

Carbunculi parotidibus innati, ſuppurationem eorum, aliàs difficile obtinendam, promouerunt; aliis vero bubonibus, ſubinde fauſto, ſaepius tamen funeſto omine implantabantur.

XXV.

Signum eſt lethale, ſi carbunculi, ſeparata quamuis eſchara, vlterius cum vibicibus proſerpant, & loco puris ſaniem fundant.

XXVI.

In peſte Moſcouienſi tanquam phaenomenon ſingulare obſeruabatur, quod fere omnes in carceribus peſte infecti captiui, parotidibus inſignirentur.

XXVII.

In initio peſtis exanthemata & bubones, in vigore carbunculi frequentiores, ſub finem bubones fere ſoli prodeunt.

XXVIII.

Bubones, quandoque in iiſdem locis, vbi jam antea curati fuerunt, iterum occurrere ſolent.

XXIX.

In quibus eſcharae carbunculorum, poſt ſuperatam peſtem acutam, diutius neglectae reſtitarunt, partes adiacentes valde intumuerunt, & in nonnullis bubones de nouo ſuſcitabantur.

XXX.

Bubonibus affectis, ſi carbunculi humidi, in partibus minus periculoſis ſuperueniunt, exitum bonum vtplurimum praeſagiunt.

XXXI.

Quandoque duo imo tres bubones diuerſi, ſed minores, in vno eodemque inguine, inſimul, obſeruati fuerunt.

XXXII.

In parte capillata capitis, oculis, interna oris cauitate, pene, volis manuum & plantis pedum, carbunculos nunquam vidi.

XXXIII.

In periodo infectionis, cutis externa, ab vnguine ſuperabundante, ſaepe ita vnctuoſa fit, vt aqua affuſa guttatim colligatur; imo multi peſte acuta recenter affecti, facie quaſi oleo illinita & reſplendente, cernuntur.

XXXIV.

Medicamenta mercurialia, varia forma & doſi, tam in- quam externe vſurpata, nec minimam vtilitatem praeſtarunt.

XXXV.

Qui tempeſtiue, id eſt, in principio ipſo peſtis acutae, vel ſponte, vel ex emetico propinato, multam ſaburram bilioſo-viſcoſam facile

facile reiectabant, morbum ſemper mitiorem experiebantur; e contra, vomitus, ſerius, difficilius, vel plane non ſuccedens, euentum funeſtum praeſagiebat.

XXXVI.

Haud incongruum fore autumauerim, etiam de lue canum venaticorum, quae nunquam antea, quantum ſcio, obſeruata, peſtem hominum excepit, & per plurimos annos, praeſertim tempore autumnali, Moſcuae & in vicinia eius graſſata eſt, per tranſennam quaſi, pauca commemorare. Decurſus morbi talis fere fuit. Reſpiratio anheloſa fit, cum exſertione linguae; cibi reſpuuntur; oculi inflammantur, protruduntur, poſt langueſcunt, & albugine torua obducuntur. Glandulae colli & caput ipſum, in aliis ſubaxillares vel inguinales intumeſcunt. In quibus glandulae infarctae, vel ſponte, vel adhibitis remediis emollientibus & maturantibus cito ſuppurantur, vel pituita multa puri analoga e naribus effluit, hi reſtituuntur; reliqui vero tertia vel quarta die enecantur. In nonnullis diarrhoea loco intumeſcentiae exoritur, pedibuſque inſiſtere non valent, ſed ſi eriguntur, confeſtim quaſi perculſi in latus proiiciuntur; etiam ſi conualeſcunt, paralyſi fere pedum poſteriorum afficiuntur, & vel maraſmo tandem pereunt, vel ſi juniores fuerint, non niſi poſt longum temporis interuallum ſenſim ſaneſcunt. Tanto contagio pollet lues haec, vt ſi vnus inquinetur, reliqui omnes vna detenti breui corripiantur, imo ex loco affecto, in alios facillime traducatur. Homines vero nunquam inficit, quamuis eos omnimode contrectent. Venaticos tantum, qui ſola farina auenacea aluntur, non vero domeſticos, quantum audiui, infeſtat. Etiam in Wallachia poſt peſtem hominum ſedatam, luem hanc canum ſimiliter obſeruatam fuiſſe, ab oculatis teſtibus narratum mihi fuit.

EXPERIMENTA.

I.

Quia in Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi animaduerterem, peſtiferos carbunculis affectos, dummodo in regionibus minus periculoſis ſiti eſſent, obtenta per methodum vſitatam (exper. XIX.), ſuppuratione, prompte ſanari: ſtatui periclitari, anne per ſphacelum in parte quadam ignobiliore arte productum, ſuppurationem accelerare, & eo ipſo bubonibus laborantes, vtpote ob eius retardationem ſemper dubios, a diſcrimine vitae liberare poſſem. Elegi itaque hunc in finem, militem iuuenem, quarto morbi die ex peſte acuta intenſius febricitantem, & in delirio conſtitutum, viribus tamen ſat conſtantem; cui in parte anteriore media cruris, ſcarificationes profundas & denſas, ad circumferentiam rublionis circiter inſtituere; vulnuſcula butyro antimonii illinire; linteo carpto contegere, & me praeſente deligare juſſi. Nullum omnino ſenſationis vel doloris ſignum, quod jure mireris, prodidit, nec multum ſanguinis pallidiuſculi effluxit. Altero mane, remota faſcia, dum locum tantopere vexatum, ſideratum omnino inuenire credo, non ſine admiratione, nec minimum inflammationis, nedum gangraenae inſecuturae indicium offendo. Vulnuſcula inflicta, arida, peripheria & interſtitiis illibatis, cernebantur. Eodem vero die poſt meridiem, in eodem pede, & in medio ſurae, carbunculus ſponte prorupit humidus; quo, vti mos erat, tractato, ſuppuratio die inſequente prouenit, euentu tam fauſto, vt omnia ſymptomata ſtatim miteſcerent, buboque immediate poſt matureſceret, aegroto ſenſim perfecte conualeſcente.

II.

Exſtirpationem bubonum minorum, in initio infectionis adhuc mobilium, optimo cum ſucceſſu, ſymptomatibus nempe omnibus, poſt ſuppura-

ſuppurationem inſequentem euaneſcentibus, aliquoties inſtituiſſe, Chirurgus Schmidt Jaſſiae aſſeuerauit. Mihi idem periculum faciendi occaſio defuit, quia infecti jam in ſtatu prouecto (dum bubones cum partibus adiacentibus contumeſcentes, ſine diſcrimine euidenti, ne nervi & vaſa ſubſtrata laedantur, vix exſcindi potuerunt), in Noſocomium adducebantur. Reliqui vero, quos mature tractare licuit, methodo vſitata ſat proſpere liberabantur, nec operationi quilibet lubenter ſeſe ſubiicere voluit.

III.

Chirurgus, copiarum tunc Jaſſiae ſubſiſtentium, primarius, Rembowsky, liquorem nitri fixum, ſummis extollebat encomiis, & eo etiam quamdiu ibi verſabar, quauis data occaſione, praeſertim in exordio mali vtebatur, Vix fidem ei habere potui, medicamentum hoc ſummopere alcalinum, largioribus omnino, imo repetitis doſibus vſurpatum, in lue hac effectus ſalutares producere poſſe; hinc eum ab eius vlteriore exhibitione dehortabar. At ille experientiam ſuam vberrimam tot menſium opponebat, & quotidie fere nouos caſus proſperos, in conuictionem dubii, mihi indicare haud deſiſtebat.

IV.

Aderat Moſcuae, in comitatu Principis Orlow, Chirurgus quidam primarius, qui pulueribus famigeratis Jameſii (quibus in febribus malignis, magno cum ſucceſſu ſe vſum fuiſſe perhibuit), etiam peſtem debellatum iri, Proceribus perſuaſit. Hunc ergo in finem, vndique diſpergebantur, Mediciſque & Chirurgis injunctum fuit, vt ad normam praeſcriptam illos diſpenſarent, & quos producerent effectus, Collegio ſanitatis referrent. Ex relationibus plurimis, hoc ſolum conſtitit, eos peſtiferos, qui ex minori doſi in ipſo principio exhibita, ſatis ſudauerint, omnino breui ſanitatem recuperaſſe; reliquos vero, quibus aut in prouectiori ſtatu, vel largius propinati fuerint, poſt excitatos vomitus,

tormina & alui fluxus, omnes facile exſpiraſſe; hinc vſus eorum breui deſerbuit.

V.

Mercator quidam graecus, tempore peſtis Moſcuae immorans, ſumma fiducia, balſamum de Mecha, Collegio ſanitatis commendauit, & plura exempla curationis proſperae, tum Conſtantinopoli, tum Moſcuae obſeruata, tanquam veriſſima praedicauit. Captis hinc inde experimentis, pateſcebat, paucas guttulas, quinque nempe ad decem, medicamenti huius calidiſſimi, cum pauxillo vitelli ouorum ſubacti, & in potulento tepido propinati, in ipſo initio morbi, largos ſudores, cum euentu optato produxiſſe; in ſtatu vero prouectiori, tantum abeſt, vt profuerit, quin mortes acceleraſſe euincebatur.

VI.

Etiam quid phoſphorus praeſtaret, juſſu Principis Orlow tentatum fuit. Doſes a dimidio grano, ad vnum, duo & tria ita conficiebantur, vt phoſphorus, cum tantillo olei amygdalorum dulcium contritus, ſemunciae aquae ſtillatitiae florum Sambuci miſceretur. Experimenta, in tribus, eodem tempore capta fuerunt, Noſocomiis peſtilentialibus, relationeſque, quas Medici & Chirurgi de ſucceſſu ad Collegium ſanitatis miſerunt, fere omnes in eo conſenſerunt: aegrotos minimas, nempe dimidii & vnius grani doſes, poſt aliquot horas repetitas, ſine incommodo ſuſtinuiſſe, & nonnullos, quorum malum adhuc recens erat, oborta diaphoreſi, melius ſe habuiſſe; alios quoque, nullam omnino mutationem notabilem exinde expertos fuiſſe. Illi vero, quibus maiores doſes propinatae fuerunt, exacerbationem febris & reliquorum ſymptomatum patiebantur; imo nonnulli cataleptici quaſi fiebant.

VII.

In peſte Moſcuenſi, ſpiritus aceti Ehrenreichii, ab anthore ſuo ſummis jactatus encomiis, in creberrimo vſu fuit. Neminem vero, peſte

peſte ipſa jam affectum, ope eius curatum fuiſſe innotuit, quamuis ſcopo prophylactico, & in ipſo morbo, tanquam acidum concentratum, haud incongrue vſurparetur.

VIII.

Fuerunt quoque Moſcuae nonnulli, etiam ex Medicorum ordine, qui inoculationem peſtis experimentandam eſſe propoſuerunt; ſed conſilium hoc, nouitatem ſpirans, haſce ob rationes repudiatum fuit: 1) Quia, non tantum ex aſſertionibus omnium facile Loimographorum autoptarum, ſed etiam obſeruationibus nuperrimis Jaſſiae & hic Moſcuae factis, indubiis, palam erat, peſtem non vt variolas, ſemel tantum mortales adoriri, ſed datis occaſionibus, per plures vices redire. 2) Quod lues haec, pro morbo vnicuique quaſi ineuitabili minime habenda ſit; e contra, diuina annuente clementia, deletio eius totalis indies ſperaretur; operationem itaque hanc (reipſa formidoloſam), inutilem, imo ridiculam futuram. 3) Arduum denique & inhumanum videbatur, etiamſi capite damnatos, vel alios infimae conditionis homines ſanos, & qui veroſimiliter in perpetuum immunes reſtare poſſent, tam incerta ſpe, ad experimentum vi cogere, dum quiſque ingenuus, aleam hanc, ſummo periculo plenam, proprio nutu adire, certe recuſaret.

Sectio

SECTIO PROBLEMATICA.

CONSECTARIA.

I.

Multa phaenomena & ſymptomata, exactius penſitata & inter ſe collata, arguere videntur: peſtem, pro morbo putridiſſimo vix habendum, nec effectus, quos miaſma peſtilens *) producit, ab alcalina acrimonia deriuandos eſſe.

Venia omnino in anteceſſum roganda mihi erit, quod contra ſententiam antiquitus receptam, & in hunc vſque diem, ſi vnam vel alteram hypotheſin vagam excipias, pro canone quaſi habitam, argumenta quaedam proferre audeam. Rationes dubitandi apud me enat e hae ſunt. Si miaſma peſtilens putridae, ne dicam putridiſſimae indolis eſſet, tunc effectus conſimiles producere, & per indicia luculentiſſima ſeſe prodere deberet; quod tamen nec in viuis nec mortuis animaduerſum fuit. Nam, nullus in halitu, exhalationibus, vlceribus peſtiferorum **), vel excrementis alui, foetor ſingularis, aut man feſte putridum olens, obſeruabatur (cfr. exper. XVII. XVIII. XIX.); e contra ſudores, odorem, quem vulgo acidum vocant, ſpirabant. Certe, vnus alterue, vlceribus ſcorbuticis vel ſphacelo partis cuiuſdam in Noſocomiis decumbens, aërem multo foedius corrumpit, quam XV. ad XX. peſti-

*) Quia de exiſtentia miaſmatis peſtilentis, neminem ſerio dubitare autumaverim, eam tanquam euictam praeſuppono.

**) Cl. Chenot, quamuis peſtem omnium morborum putridiſſimum ſtatuat, obſeruat tamen, carbunculos omnis fere foetoris & putrilaginis expertes fuiſſe. Tr. de peſte p. 186.

peſtiferi, in eodem conclaui detenti *). Subſtantiae bubonum & carbunculorum exciſae, nulla putredinis nota imbutae erant, imo a canibus auide deuorantur, quod, ſi a putrilagine corruptae fuiſſent, vix fieri crediderim. (exper. XVIII.). Vulnera & vlcera quaelibet, quamprimum infectio facta fuerit, areſcunt, & omnem foetorem amittunt (obſ. III.) dum in morbis aliis cum acrimonia alcalina coniunctis, contrarium omnino obtinet, & ſanie putrida ſumme foetente ſemper ſcatent. In hiſce, vti etiam in aliis peſtibus accidit, quod lues verno tempore graſſans, media aeſtate, & caloribus ſummis regnantibus, aut prorſus euaneſceret, aut ſporadica tantum euaderet, quamuis notiſſimum ſit, calorem aeſtiuum, putredini quam maxime fauere, minime vero deletionem eius promouere (exper. VII.). Cita conualeſcentia peſtiferorum (obſ. XVI.), non tantum in principio, ſed etiam ipſo vigore morbi conſtitutorum, vim putredinis vix ac ne vix quidem expertos fuiſſe commonſtrat; ſi aliàs effatum magni Medici verum ſit, quod acrimonia alcalina vehemens, per vnum nycthemerum, plus detrimenti corpori humano inferat, quam acida per totum annum. Motus corporis, qui in initio peſtis, tot euidentiſſimis documentis ſeſe commendavit (exper. XVII.), vt de maxima eius vtilitate dubitare nefas ſit, in morbis cum putredine coniunctis indubie nocet; nec explicari poſſe crediderim, quomodo multi peſte grauiſſima, per plures dies cum delirio perpetuo affecti, leuamen illud promptiſſimum (exper. XV.) percipere potuerint; aut quod multi ad extremum fere mortis terminum, viribus tam mentis quam corporis, omni exſpectatione maioribus polleant (hiſtor.

*) In Noſocomio peſtilentiali Jaſſienſi, quod primò in Monaſterio, a Sancto Spiridone cognominato, erat, hoc toties non ſine admiratione obſeruaui; nam ſaepe, ſummo mane, hypocauſta, vbi peſtiferi decumbebant, intrans, foetorem haud perceptibilem experiebar, quamquam feneſtrae & portae, vel ob tempeſtatem pluuioſam, vel ex negligentia adminiſtrantium, ſaepe per totam noctem clauſae fuerint.

ſtor. morb. III.), ſi putredo per tantum temporis ſpatium, humores, encephalon, neruos, viſcera, verbo, omnia tam ſolida quam fluida inquinaſſet. Melioris ſortis homines, victu animali lautiori, condimentis & ſpirituoſis variis vtentes, rariſſime reſpectu reliquorum, & non niſi ex errore grauiore inficiuntur; dum e contra peſtis in plebeios & pauperes, cibis e regno vegetabili *) praecipue petitis ſeſe ſuſtentantes, & ſtimulantibus modo nominatis fere carentes, quam maxime fuerit (exper. III.). Perplurimae obſeruationes docuerunt, peſtem poſt ingurgitationem fructuum horaeorum immediate inſecutam, & ſaburram eorum fere immutatam, vel fermentantem quaſi, ſubinde, reiectatam fuiſſe (exper. XXV.), e contra juſcula carnium in peſte affectis (hiſt. morbi VII.) & carnes ipſae in conualeſcentibus nunquam nocuerunt, quin maxime conducebant; quod tamen aliter euenire debuerit, ſi peſtis putridae naturae eſſet.

Sed nec in cadaueribus ipſis, putredinis properantis, vel foetoris ſingularis, indicia ſeſe manifeſtarunt. Ad exper. XX. notaui, mortuos, plerumque pallidos & tumidiuſculos, etiam quando per plures dies, tempeſtate calidiſſima, inſepulti jacerent, nullas corruptionis euidentis notas, vti tamen poſt febres malignas contingere ſolet, prodidiſſe; & ſaepe Jaſſiae miratus ſum, a permultis cadaueribus, in plauſtris accumulatis a vespillonibus obuiam ductis, nullam mephitidem nares feriiſſe. Dum Moſcuae, in initio peſtis, multa cadauera non ſat profunde inhumarentur, euenit, vt ex pluuiis crebrioribus, humus vtplurimum parca manu aggeſta, ſublueretur, membraque hinc inde denudata, in coemeteriis, viſui ſe offerrent; quamobrem ſumtibus publicis terra ſuperaduehi curabatur, & admirationem haud paruam tunc excitauit, quod tam

*) Etiam in peſte canum (obſ. XXXVI.), hoc admodum notabile occurrit, quod illa nunquam, (quantum mihi conſtat) canes domeſticos polyphagos, ſed vnice venaticos tales, qui ſola farina auenacea aluntur, affecerit.

tam ſero computreſcerent *). Imo, quando poſt peſtem ſedatam, omnes domus, tam emortuae quam ſuſpectae, luſtrarentur, mille circiter cadauera, quae variis in locis, e. g. hortis, atriis, & in aedibus ipſis ſub pauimentis, tectis & aliis latebris, clam ſepulta erant, & veroſimiliter haud pauca, inde ab initio peſtis, per aeſtatem & autumnum, ſat calidos, delituerant, maximam tamen quoad partem aut integra, aut corruptionem haud totalem paſſa, e domiciliis, in coemeteria extra ciuitatem tranſportata fuerunt (cfr. hiſt. peſt. Moſc.).

Quantum vero acrimonia miaſmatis peſtilentis ab alcalina differat, imo ei contraria quaſi videatur, ex ſequentibus patebit. Omnes exper. XII. enumeratae affectiones, lue vigente, in ſubiectis a peſte adhuc immunibus, & quoad reliqua ſat bene valentibus frequentiſſime occurrentes; vti quoque periodum infectionis & peſtem ipſam concomitantia ſymptomata, praeprimis primordialia, acrimoniam acidam & lentorem, imo coagulationem humorum manifeſtam, praeſupponunt. Ardores vrinae & dolores illos pungentes, vagos, in periodo infectionis frequentiſſimos, ab acrimonia acida productos fuiſſe, promptum ex abſorbentibus ſolis leuamen, clare vt puto, oſtendit. Appetitus, immediate ante inſultum peſtis acutiſſimae ſaepe immodicus (hiſtor. morb. VII.), acidum eſurinum in ventriculo accumulatum, indigitat. Saliua tenax & pendula; viſcoſitas ſaburrae vomitu reiectae & excrementorum alui; intumeſcentia glandularum; grauitas & torpor corporis; ſegnities alui; moles linguae adaucta; calor externus vtplurimum mediocris vel plane exulans; vrinae crudae; ſitis abſentia; delirium mite & ſic porro, quid aliud quam lentorem humorum inculcant? nec ab acrimonia alcalina deriuari poſſunt, niſi principia medica, hucuſque pro certiſſimis habita,

*) Etiam in peſte boum idem obſeruatum fuit. In mandato Regis Pruſſiae Ao. MDCCLXV. publicato dicitur, per experientiam certam conſtitiſſe, quod cadauera boum ex lue enectorum ſat profunde defoſſa, decem & plures annos incorrupta fere permaneant.

bita, penitus fallant. Subſtantia bubonum & carbunculorum ſub eſchara, nunquam tota in tabum deliqueſcens, ſed aut exciſa, aut ex vlcere ſponte decidens, maſſam albeſcentem, duriuſculam, ſcirrhoſam *), & quaſi adipem, in ſpiritu acidiſſimo diu maceratum, exacte referens, vim coagulantem & adſtringentem **) fortiſſimam perpeſſam teſtatur. Eſcharae carbunculorum ſiccae & duriſſimae, iis ſimillimae ſunt, quae ex aqua forti, vel lapide infernali excitantur, & a reliquis ſphaceli ſpeciebus hoc ipſo ſigno, ſat luculenter diſtingui poſſunt. Creberrimus vſus terreorum & abſorbentium, a Galeni vſque temporibus, ab omnibus fere loimographis, collaudatus, ea ſaltem ſine noxa euidenti, in tot peſtibus adhibita fuiſſe, comprobat ***). Medicus graecus in initio peſtis Jaſſiae degens, de remediis antipeſtilentialibus a me percontatus, itidem terrea & abſorbentia, praeſertim terram ſigillatam, in ditione turcica, optimo cum ſucceſſu vſurpari, aſſeuerauit. Liquor nitri fixus, vtut alcalinum ſummum, a Chirurgo tamen primario Rembowsky, copioſe & vnice fere in vſum tractus (experim. III), tantum abeſt, vt nocuiſſet, quin permulti, praeprimis in luis incunabulis, feliciter exinde conualuerunt. Quod miaſma peſtilens, metallis quibuſdam, mediante attrectatione infecti, tam facile adhaereat (exper. IV.), aliter explicari poſſe vix crediderim, quam ex naturali acidi huius ſubtiliſſimi cum corpori-

*) Celluloſa quae eſcharae carbunculorum ſubiacet, vti etiam ſubſtantia furunculorum, qui peſtilentiae tempore vulgares ſunt, ſolida quoque & compacta, non tamen tantae duritiei, ac in bubonibus eſt.

**) Celeb. quondam Schreiber, qui in obſeruatis & cogitatis ſuis de peſte, alcalinam miaſmatis indolem tanquam indubiam vbique defendit, in conſectario tamen tertio, illam *cauſticam* vel *adſtringentem* vel *coagulantem* adſtruit; quod, quomodo cum alcalina natura conciliandum ſit, non video.

***) Puluerem cretaceum, ad inflammationem bubonum & carbunculorum extrauagantem reprimendam, cum ſucceſſu adhibitum fuiſſe, ſub exper. XXI. commemoraui. Cineres calidos in peſte Viennenſi, in eundem finem itidem feliciter vſurpatos fuiſſe, author eſt Beintema.

poribus alcalinis ſeſe miſcendi propenſione *). Etiam morbi & affectiones, iis, qui peſtem ſaepius perpeſſi ſunt, vel cum peſtiferis conſortium intimius habeant, ſuperuenientes, magnam cum aliis, ab acrimonia acida prouocatis, analogiam oſtendunt: vti pallor faciei, habitus leucophlegmaticus corporis, oedemata, febres intermittentes &c.

Obiicietur forte! quia acida mineralia & acetum tanto ſucceſſu ſeſe commendauerint, manifeſte hinc ſequi, acrimoniam alcalinam ab iis debellatum iri. Sed regero: ſpiritum vitrioli, toties euidentiſſimo cum emolumento, in acrimonia ventriculi acida, tam infantum quam adultorum; quartanis inueteratis cum ſummo lentore humorum, vti etiam contra ſodam pertinacem, a me vſurpatum fuiſſe; quod numeroſiſſimis exemplis, ſi vltra exſpatiari vellem, demonſtrare poſſem. Certe perſuaſus ſum, acida mineralia, non aciditate ſua, ſed ſtipticitate & vi roborante potius, qua elaterem fibrarum relaxatarum, praeprimis ventriculi & inteſtinorum efficaciſſime reſtaurando, ipſam ſcatebram acrimoniae acidae, & eius ſequelarum delere valent, effectus ſuos ſalutares edere. Ipſe cum peſtiferis degens, magnam ſpiritus vitrioli copiam, ſcopo tam praeſeruatiuo, quam curatiuo, pro potu fere ordinario, cum aqua conſumſi; nunquam vero ſodam, quamuis ea alias ſaepiſſime moleſtarer, contraxi. Acetum, & reliqua acida vegetabilia haud cruda, ſimili quoque quanquam multo inferiore fibras conſtringendi efficacia pollent, & hoc ſolum titulo vtilia fiunt; nam aciditas eorum, vti notum eſt, in quouis loco calido, qualis ventriculus debilis eſt, praeſertim aliis humoribus aduentantibus, breui vapeſcit. Colliquatio ſanguinis & reliquorum humorum, in peſte prouectiori per plura ſymptomata,

*) Semper dum infectus eſſem, globuli, quibus manicae induſii in carpo nectebantur, ex argento non admodum puro, confecti, rubiginem copioſiſſimam contraxerunt, adeo vt tota pars adiacens lintei colore viridi pertingeretur, quod nunquam aliàs animaduerti; certo indicio, exhalationes ex corpore tunc acidiſſimas emanaſſe.

mata, vti: diarrhoeam, exanthemata, ſputa cruenta & effluxus varios ſanguinis ſemper pallidiuſculi & reſoluti, ſat euicta, quaſi ab acrimonia alcalina procreata, vix ac ne vix quidem reputari poteſt, quia etiam in tot aliis morbis, acrimoniam acidam vnice pro cauſſa agnoſcentibus, vel cum eadem coniunctis, tanquam ſequela, atoniae ſolidorum, ſtagnationis ſanguinis venoſi, & craſeos eius quomodocunque vitiatae, prouenire ſolet, e. g. in hypochondria, cachexia, diarrhoea habituali, hydrope &c. Nec guſtus amarus & bilioſa facies ſuburrae vomitu reiectae, alcalinum quid euincit; cum nemini in praxi verſato ignotum eſſe poteſt, in multis ab acrimonia acida morbis, poſt vomitum a quacunque cauſſa excitatum, idem euenire. Antiquatam tandem illam opinionem, quod miaſma peſtilens, vi ſua ſumme putredinoſa, cor, encephalum & neruos praeprimis adoriatur, vimque vitalem actutum pelſundet, refutatione vlteriore vix indigere confido; dum ex obſeruatis innumeris luculenter apparuit, actiones vitales non ſemper tantopere vel cito ab eo laedi; nec, quae obtingit proſtratio virium, ab acrimonia alcalina repetendam eſſe. Quod puluis noſter fumalis (exper. XXXI.), quem ſulphur & nitrum ingrediuntur, vaporibus ſuis acidis, miaſma putridum ſubegerit, & hanc praeciſe ob cauſſam, effectus exoptatos tam euidentes ediderit, non penitus euictum eſt; dum reliqua illa ingredientia, fumo ſuo denſiſſimo, illos obtundere, & minus efficaces reddere potuerunt. Memini, mihi e Moſcua reduci, a celebri quondam Chemico Model, obiectatum fuiſſe, quod furfures triticeos non ſatis apte in compoſitionem admiſerimus, quia fumus ab iis excitatus alcalinae indolis fieret. Et conceſſo, quod aciditas ex ſulphure & nitro in fumo praeualuerit, incertum tamen eſt, an hac praeſertim, vel nonne potius, exſiccandi, conſtringendi & tenaciſſimas miaſmatis particulas incidendi qualitate, operatus fuerit. Certe, experimento, in conſectario proxime inſequente excitando, conſtitit, aciditatem adipis rancidi, ex fumo hoc nequaquam augmen-

gmentum capere, ſed vapores penetrantiſſimos profligari, & conſiſtentiam ſicciorem & quaſi friabilem euadere.

II.

Qualis demum naturae, acrimonia miaſmatis peſtilentis ſit, quamuis exacte determinare haud liceat: eam tamen ad *rancidam* propius, quam reliquas cognitas accedere, acida indoles adipis non ſolum recentis, ſed etiam corrupti ſiue rancidi, per obſeruationes & experimenta euicta; indicia rancoris in peſte euidentia; phaenomena, quoad ortum, vigorem & deletionem vtrobique conſimilia; tum quoque morbi peſti analogi, ex acrimonia luculenter rancida ſubinde excitati, ſuadent.

Omni dubio caret, miaſmata morborum contagioſorum ſingula, peculiari & a reliquis diuerſa acrimonia praedita eſſe, qua mediante ſe tranſplantare, & aegritudinis ſemper ſibi homogeneas producere valeant. Quam obſcura vero, & parum exculta doctrina haec de contagiis hucuſque permanſit, nemini latet; nec ſperare fas eſt, eam quamvis ſumme optabilem, ob maximas, in tanta materiae abſtruſae ſubtilitate, difficultates vndique prementes, ad debitum perfectionis gradum tam cito prouehi poſſe. Interea, dum diagnoſis, methodus medendi & prophylaxis, rationales, cognitioni cauſſae remotae, ſi non ſemper adaequatae, ad minimum tamen maxime probabili, tanquam fundamento ſuo inniti debeant; niſi aliàs mera empyria vel hypotheſibus vagis contenti eſſe velimus: hinc operam prorſus ludere neutiquam crediderim, ſi ſententiam meam experientiae ſuffultam, minime quidem pro certa venditatam, attamen vt mihi videtur probabilem, & multis phaenomenis peſtis, aliter vix explicandis, lucem foenerantem, proponam.

Acri-

Acrimoniam rancidam, oleoſam quoque nuncuparunt, ſummi Viri H: Boerhaue & eius commentator V. Svieten, non tamen ab alcalina diſtinxerunt; & quantum video etiam ab aliis, corruptio a rancore, cum illa a putredine producta, quaſi eiuſdem praeciſe naturae eſſent, promiſcue fere confunduntur. Quam perperam vero hoc fiat, ex ſequentibus eluceſcet.

Jam antea obſeruatum fuit, quod adeps rancidus cuprum arrodat, & viride aeris producat. In oſſibus fiſtuloſis e coemeteriis effoſſis, curioſius examinatis, medulla in ſebum mutata, minime vero putrefacta *) inuenitur; imo pus ipſum, tanquam adipis productum, acidae indolis eſt. Hinc certo concludere licet, pinguedines animales vtut jam alteratas & corruptas, non illico & ſine exceptione, alcalinam vel putredinoſam naturam induere, quin ſubinde diutiſſime in ſtatu contrario permanere.

Quia jam dudum ſuſpicabar, acrimoniam rancidam cum miaſmate peſtilenti, ſumma affinitate coniunctam eſſe: celeberrimum Chemiae in Academia ſcientiarum Petropolitanae Profeſſorem Georgi rogavi, vt experimenta tam cum adipe rancido, quam recente, inſtitueret. Negotium hoc eo lubentius in ſe ſuſcepit, quod analyſis chemica adipis praeſertim rancidi, huc uſque parum nota, & praeter curioſitatem, etiam vtilitas haud parua exſpectanda eſſet. Dum adipis humani copia non daretur, loco eius ſuillum accepimus, vtpote animalis polyphagi, & humano non valde diſſimilem. Rancidus, vltra duos annos vetuſtus, adhibitus fuit. Ex magna ſerie experimentorum, quae Vir Clariſſ. in Commentariis Academiae ſcientiarum propediem in lucem edet, ſequentia tantum pauciora, & in ſcopum meum collimantia, excerpſi.

1) Adeps

*) Quod adeps in cadaueribus animalibus, poſt ſtatum rancidum, tandem in tabum vniforme, nunc citius nunc tardius, computreſcat: hoc morae longiori, admixtioni praepollenti aliarum partium animalium, & aliis cauſſis, tranſitum rancoris in putreſcentiam, ex lege naturae accelerantibus, adſcribendum erit.

I) Adeps tunicis propriis incluſus, per moram in loco humido, tepidiuſculo, ſenſim offuſcatur & ranceſcit, h. e. guſtum vrentem acidum, & odorem ingratum acerrimum, oculoſque ferientem ſucceſſiue maiorem, acquirit. Vapores ex adipe valde rancido exeuntes, teterrimi & ſumme volatiles ſunt.

II) Adeps recens poſt digeſtionem haud interruptam XIV. dierum, in calore XXX. ad XXXIV. graduum thermometri Reaumurii (illum qui in corpore humano ſano obtinet, aequante, aut parum excedente) flaueſcit, odorem nauſeoſum penetrantiſſimum, guſtumque vrentem nanciſcitur; caeterum, adipi rancido, quoad omnes proprietates ſimilis ſit.

III) Adeps rancidus, in phiala, calore leniſſimo liquefactus, bullas aëreas copioſe protrudit (quaſi ebulliret), & vapores ſubtiliſſimos, ſumme faſtidioſos, oculoſque vehementer afficientes, copioſe emittit. Vapores hi, chartis probatoriis, more Bergmanniano, in vitro ſuſpenſis, excepti, acidi volatilis indolem, manifeſte prodiderunt.

IV) Adeps recens, in eodem caloris gradu placide liqueſcit, nullum odorem ingratum ſpirat, vaporeſque eius, multo acidiores, ſed minus volatiles ſunt.

V) Adeps rancidus, poſt liquefactionem expreſſus, colore fuſco inſignitur, & omnes proprietates in experimento tertio notatas, retinet, excepto odore, qui minus volatilis eſt. Quoad ſextam ponderis partem, in mucum viſcidum deliqueſcit, & cum aequali portione aquae commixtus, non ſolum miſcelam intimam & indiſſolubilem ſubit, ſed etiam tota maſſa ſumme glutinoſa & nauſeoſi odoris euadit, acidumque manifeſtum continet. In evaporatione, miſcela haec non in gelatinam, ſed magma mucoſo-vnctuoſum, cogitur.

VI) Per deſtillationem adipis rancidi ex retorta, multum phlegma aſcendit, quod in initio, indicia acidi quamuis debilioris per reagentia,

oſtendit; poſtea turbidum, butyraceum, fuſcum, & tandem vi ignis adaucta, oleum fuſcum, & phlegma empyreumaticum exit.

VII) Adeps recens eodem modo deſtillationi ſubiectus, maiorem ignis gradum poſcit, & inſimul cum oleo flaueſcente butyraceo, parcam copiam phlegmatis lutei, & poſtea ex viridi flaueſcens oleum largitur. Vtrumque, oleum & phlegma, ſumme nauſeabundum, & quam maxime volatilem odorem ſpargit, guſtumque empyreumaticum habet. Phlegma acidum concentratum continet, & vapores olei itidem acidi ſunt. In altera deſtillatione, phlegma parcius quidem, ſed aeque acidum, minus tamen volatile exit. In tertia, jam nullum phlegma, ſed primum, oleum virideſcens limpidum, & demum rufeſcens, prodit.

Correctio adipis rancidi tentata fuit:

VIII) Ablutione in multa aqua, quae exinde mucoſa valde, euaſit. Adeps multum de pondere ſuo perdidit, foetorem amiſit, fere dealbuit & mitis fiebat.

IX) Per digeſtionem cum ſpiritu vini; qui flauo colore tingitur, & odore valde ingrato, guſtuque nauſeabundo, inſignitur. Si aqua additur, lactea fit miſcela, cui oleum diſſolutum ſupernatat; aqua vero ſub illa mucoſa manet. Rancor adipis eadem ratione ac per loturam cum aqua corrigitur, acidum vero abſorbitur.

X) Per ſuffimentum cum puluere antipeſtilentiali forti (exper. XXXI.): Adeps nempe rancidus, mattae cado vacuo ſuperextenſae, imponebatur, & fumigatio per duos dies ex batillo ſuppoſito, continuo inſtituebatur. Nihil vel in- vel externe permutabatur; odor vero volatilis nauſeoſus penetrantiſſimus euanuit, & conſiſtentia ſiccior quaſi friabilis effecta fuit. In liquefactione bullae copioſae, aeque ac in experimento tertio excitabantur, & vapores acidi, non vero acriores protrudebantur. Color idem fuſcus & guſtus ingratus permanſit.

Quamuis haud veroſimile ſit, pinguedinem corporis humani viui, eundem corruptionis rancidae gradum, ac alios adipes diu ſepoſitos,

ſos, in peſte attingere, vel eam per totum ambitum tunicae adipoſae, locum habere poſſe; exſtant tamen in peſtiferis indicia rancoris ſat lucu-lenta. Color ille profunde flaueſcens, & viſcoſa mollities adipis, quae, dum inciſiones bubonum & carbunculorum inſtituuntur, in vicina cellu-loſa, quamuis ſana apparente, animaduertitur, deprauationem eius, quae non niſi rancor, ſaltem incipiens, eſſe poteſt, euincit. Vnguen cutis *), quod in infectis ſuperabundare ſolet, & ſordes illae copioſae, viſcidae odorem acidum vel potius rancidum **) ſpirantes, producta humorum oleoſorum ſtagnantium & ranceſcentium eſſe videntur (cfr. experimentum mox allatum V.). Induſia cum lixiuio vel ſapone lota, in locis maxime transſpirabilibus, praeſertim ſub axillis, colore virideſ-centi inquinantur. Saburra, quae vomitu reiicitur aeruginoſa, vel ex vi-ridi flaueſcente variegata ***), certe nihil aliud, quam adeps corrup-tus & in magma mucoſo-vnctuoſum diſſolutus eſſe videtur.

Conformitas, quae rancorem & miaſma peſtilens intercedit, tam euidens eſt, vt, easdem quaſi, exortus, vigoris & deletionis cauſſas, agnoſcant. Notiſſimum eſt, rancorem, non niſi in rebus oleoſis vel pinguibus locum habere poſſe; hoc vero de miaſmate peſtilentiali tam verum eſt, vt infectio per vtenſilia lignea, terrea, vel eſculenta & po-

Y 2 tulenta,

*) Vnguen hoc cutis celebr. Ludwig in diſſertatione de humore cutem inungente, eleganter deſcripſit.

**) Odor hic, cum illo, qui in capitibus infantium tinea laborantium ſen-titur, & vnguini cutis copioſo corrupto natales ſuos manifeſte debet, apprime conuenit.

***) Saepiuſcule in praxi, ſcreatus copioſiſſimos, ſaburrae huic quoad colo-rem & conſiſtentiam ſimillimos, praeprimis in aetate prouectis & obeſis, obſeruaui. Guſtus ſalſus, ſubadſtringens, odor rancidum ſpirans, ha-bitus corporis ſolidus in tumidiuſculum mutatus, tum quoque ex abſor-bentibus leuamen praecipuum, haud obſcure indigitarunt, ſputa haec adipis vitiati, & in magma viſcoſum reſoluti, producta eſſe. Notabile quoque admodum fuit, in multis, maculas liueſcentes, vel exanthemata purpuracea, eodem tempore in conſpectum veniſſe.

tulenta, omni oleo animali aut vegetabili carentia, aut per metalla, quae arroſioni acidorum vix ſubiecta ſunt, nunquam propagata, vel iis adhaerens obſeruata fuerit. Adipoſa omnia in aëre humidiuſculo, tepido & occluſo, e. g. in cellis fornicatis, citiſſime ranceſcunt, & hanc ob cauſſam aeſtiuo tempore, in locis ſiccis eleuatis & perflabilibus, ſeruari ſolent; imo diutiſſime corruptelae reſiſtunt, ſi per coctionem, exſiccationem aut fumationem, particulis aquoſis plus minusue orbata, in ſebum mutentur & compactiora reddantur. In peſte ſimillime euenit. Nam vix aliter erumpit, aut multum ſeſe exſinuat, quam in domiciliis aëre vapido tepidiuſculo ſcatentibus (exper. I.); tempeſtate humida maxime ſaeuit; ſicciore vero & ventoſa quamuis calidiſſima torpeſcit, & tandem hyeme gelida exſpirat (exper. VII.). Infectio quoque communiſſima & ſumme efficax, per res in atmoſphaera vapida ſecluſas, vel ab omni perflatione aëris remotas, ita euidenter fit, vt haec conditio principalis omnino, qua data, miaſma peſtilens etiam debiliſſimum, & in loco ipſo peſtilenti iners, de nouo exaltetur, & cum violentia ſumma propagetur, jure reputari poſſit (cfr. exper. IV.). Spirituoſa & ſalia, rancoris non tantum praeſeruatiua, ſed antidota, etiam in peſte ſalutaria fuerunt (exper. XVII.). Quantum vero eſculenta rancida, & effluuia talia vi caloris volatiliſata, infectionem promoueant, ex experientiis I. & IV. ſat clare patet.

Sed exempla quoque nonnulla, quae mihi nunc in mentem incurrunt, euincere videntur, adipem indubie rancidum, nondum vero putridum, vel eius effluuia, variis modis ad corpora hominum delata, etiam in regionibus partim frigidiſſimis, morbos, citis mortibus & plurimis ſymptomatibus, peſti verae valde analogos, produxiſſe; hoc tamen cum diſcrimine, quod contagium non multum propagatum, nec clades inſignis inſecuta fuerit.

Sero autumno anni MDCCLXIII. caſus ſequens in Finlandia Ruſſica, haud paruum rumorem excitauit. Vrſus, de cadauere vaccae enectae,

enectae, & in ſylua negligentius defoſſae, vorans, ipſe, a ruſtico quodam, haud procul abinde mortuus inuentus fuit. Hic, nihil ſiniſtri ſibi metuens, eum in loco deglubit, & pellem more coriario ſubegit. Negotio vero abſoluto, ipſe & breui tota eius familia ex VII. perſonis conſtante, morbo acutiſſimo cum carbunculis ſtipato, afficiuntur, omneſque, cito admodum morbi decurſu, e vita decedunt; imo Sacerdos & Praefectus quidam militum, qui exuuias haſce ſine ſuſpicione manibus tractauerant, idem fatum experiuntur. Poſt combuſtionem vero pellis huius fatalis, & omnium rerum ſuſpectarum, nulla amplius infectio inſequebatur. Scio, ruſticos quoſdam in Ingermanlandia, qui lucri cupidine ſeducti, vaccas ex lue graſſante exſtinctas decoriarunt, immediate poſt, carbunculis cum febre, & reliqua caterua ſymptomatum grauiſſimorum correptos, auaritiae ſuae poenam cita morte luiſſe. Aeſtate anni MDCCLV. diſſectioni nautae, in Noſocomio marino Petropolitano defuncti, quam, eiuſdem tunc temporis Medicus, Conradus Dahl, inſtituit, aſtiti. Abdomine inciſo, omentum ex corruptela ranceſcente intumefactum propullulauit, in cuius examine curioſiori, digitum leuiter vulnerauit; mox vero bubone ſubaxillari eiuſdem lateris, cum febre validiſſima corripiebatur, & non niſi poſt maturationem ſat difficile obtentam, conualuit. Quantum vero ingurgitatio pinguedinis valde rancidae, etiam in aſſuetis, noceat, ex relatione Cranzii, in deſcriptione Groenlandiae, liquet. Incolae nempe perplurimi, adipem balaenae mortuae, ad littus appulſae, ex rancore jam vireſcentem, comedentes, multi ſtatim, reliqui vero diebus inſequentibus, morte cita occubuerunt. Ex deſcriptione admodum manca, viri non Medici, hoc ſaltem colligere licet, ſymptomata peſti analoga exſtitiſſe; ex quibus ſolum linguae valde inquinatae, diſturbationis ſenſuum, inſenſibilitatis & tumorum in membris, meminit. Quoſdam e periculo mortis ereptos vidit, quibus vomitus ſponte obortus fuit; alios, eſſentia alexipharmaca (Giſttropfen),

propinata, ſeruauit. Anno proxime inſequente, eundem caſum fuꝰ neſtum, in alia Groenlandiae regione eueniſſe commemorat.

Si ergo acrimonia rancida, iiſdem cum miaſmate peſtilenti proprietatibus gaudeat; conſimiles ortus, vigoris & deletionis cauſſas agnoſcat; & ſub plagis coeli frigidis imo frigidiſſimis, peſti verae haud diſſimiles noxas afferat: non video quid repugnet, cur miaſma peſtilens, ex rancore pinguedinis animalis, in regionibus calidis, vaporibus ſuis ſubtiliſſimis ſumme efficaci, progigni, & in corpore humano ad ſummum vſque virulentiae gradum exaltatum, longe lateque propagari, non poſſit? Annon vero, praeter acrimoniam rancidam, etiam aliis qualitatibus, a me tamen minime definiendis, polleat, tanquam rem altioris indaginis, aliis perueſtigandam relinquo.

III.

Adeps itaque, & humores manifeſte oleoſi, fomites miaſmatis peſtilentis veri, & veroſimiliter vnici ſunt; ſedeſque eius appropriata, in cute & ei ſubiecta tunica adipoſa eſſe videtur. Nam, ſi ex quacunque cauſſa, verſus *contextum celluloſum internum* *) propellatur, vel immediate huc deferatur: natura expulſionem eius verſus *externum*, ſummis ſemper conaminibus molitur.

Si concedatur verum eſſe, quod miaſma peſtilens, acrimoniam acido-rancidam, nexu indiſſolubili & quaſi eſſentiali, coniunctam ſibi habeat: tunc prono jam alueo fluit, adipem praecipue, & oleoſos quoque humores, labe eius infici poſſe. Sed etiam, quae exper. V. excitaui obſeruationes, euincunt, talia ſubiecta, quae vel adipem fere nullum,

*) Sub denominatione *contextus celluloſi interni*, totam compagem telae celluloſae, quae in cauitatibus abdominis & pectoris continetur, & ſub *externi*, cutem, cum ei ſubiecta tunica adipoſa, intelligo.

lum, vti infantes tenelli *), ſenes, emaciati; vel loco eius lympham viſcidam, vti cachectici, ſcabioſi, leucophlegmatici & hydropici, in contextu celluloſo corporis, gerunt, a contagio quamuis continuo & fortiſſimo, vix ac ne vix quidem infeſtari; dum e contra reliqui omnes, praeſertim obeſi, & facillime inficiantur, & ſemper eo periculoſius aegrotent, quo pinguiores ſunt. Ex humoribus corporis excretoriis, materia perſpirabilis, quae euidenter pinguis **), contaminationi miaſmatis, praeprimis obnoxia eſt; ſaliua quoque, ſemen genitale, & faeces aluinae, vtpote oleoſae indolis, contagio ſuſcipiendo & aliis communicando, quamuis minori gradu, vti ex obſeruatis conſtitit, inſeruiunt. De lacte vero muliebri, vrina & muco, nunquam mihi innotuit, infectionem per haecce media factam fuiſſe.

Quia hactenus ſine vlla haeſitatione creditum fuit, miaſma peſtiferum, quamprimum corpus intrauerit, maſſam ſanguinis, vti quoque humores ab eo immediate ſecernendos, illico labe ſua virulenta polluere, & in illo hoſpitari: operae pretium duxi, nonnulla ab aſſidua phaenomenorum peſtis conſideratione, contra hanc ſententiam oborta mihi dubia, indigitare. Non quidem negauerim, miaſma hoc ſubtiliſſimum, in turbinem circulationis aliquando trahi, & vaſa celeriter perreptare, praeſertim quando infectio per ingeſta, vel per inſpirationem fit; hoc vero neutiquam mihi perſuadere poſſum, illud cum ſanguine intimius miſceri, & per totum morbi decurſum, miſcela inſeparabili moueri. Nam ſi theoria, quam hucuſque ſtabilire conatus ſum, vera eſt, exinde jam

*) Vitulos teneriores a miaſmate peſtis bouinae, ex eadem veroſimiliter cauſſa vix ac ne vix quidem infeſtari, grauis eſt teſtis Clariſſ. Camper.

**) Materia perſpirabilis, ex veſicis poſt cantharides applicatas, collecta, experimento a Clar. Georgi, variis reagentibus capto, omnes dotes gelatinae perfectae, & conſequenter naturam oleoſam prodidit. Poſt exſiccationem, reſiduum ſolidum, tranſparens, & gummi arabico ſimile euaſit, quod iterum in aqua ſolutum, maſſam mucoſo-gelatinoſam praebuit.

jam ſequitur, miaſma, adipem & partes oleoſas vnice, tanquam fomitem proprium, appetere; hae vero poſteriores, in ſanguine peſtiferorum vel parciſſimae, vel paene nullae adſunt, vti ex conſiſtentia eius, jam primis morbi diebus, in dilutam, pallidiuſculam & aquoſam fere (cfr. exper. XX. & XXVI.), mutata, patet; refluxu namque adipis, in celluloſa jam ſtagnantis, multum diminuto, & tandem prorſus cohibito; & ſi particulae contagii, in principio infectionis, partibus oleoſis in ſanguine adhuc ſubſiſtentibus adhaereant, eae tamen in colatoria maiora, & praeprimis tunicam adipoſam inceſſanter deponentur. Profecto, acrimonia miaſmatis ſumme cauſtica, membranas internas vaſorum continuo irritando, febrem & diatheſin ſanguinis inflammatoriam ſine mora excitare deberet; quod tamen vix euenit, dum multi criteriis euidentiſſimis peſtis notati, interdum ſat diu, inſtar ſanorum, munia vitae ordinaria obeant. Diatheſin vero ſanguinis inflammatoriam in peſte exulare, tum abſentia ſignorum eius, tum ceterae apparitiones, vti debilitas & exilitas plerumque, pulſus, calor externus valde exiguus, ſitis abſentia, vrinae crudae &c. luculenter oſtendunt. Quae vero in bubonibus & carbunculis obtinet inflammatio, vix modum excedens, ſed plerumque juſto mitior, localis tantum eſt, & eodem modo, ac in multis ex atonia morbis, e. g. a decubitu diuturno, ſaepe obſeruatur, curſum ſuum abſoluere ſolet. Sanguis e peſtiferis fortuito extractus, nullam cruſtam inflammatoriam habuit, e contra ſolito tenuior viſus eſt (exper. XXVI.). Citra cutem & tunicam adipoſam, nunquam alias corporis partes laeſas animaduertere potui; nam parenchymate bubonum & carbunculorum ablato, muſculi ſemper rubicundi & ſaniſſimi; vaſa maiora & nerui in ſtatu illibato, minime vero oſſa ipſa a corruptione tacta, obſeruabantur; dum in aliis morbis, acrimonia inſigniori praeditis, inflammationes & exulcerationes profundae, vicina quaecunque indiſcriminatim in conſenſum trahentes; caries, haemorrhagiae &c. produci ſolent; certo indicio, non niſi contextum celluloſum externum affici,

inter-

interno, ob maiorem forte elaſticitatem & adipem ſolidiorem libero permanente. Nulla vnquam alia criſis ſalutaris peſtis, quam in initio (quouſque materia peccans in celluloſa ſtagnans adhuc mobilis fuerit), per ſudores, & in progreſſu morbi, per reſolutionem vel ſuppurationem bubonum & carbunculorum, quae depurationem ſanguinis factam indigitaret, a me obſeruata fuit.

Porro, ſi ſanguis, admixtionem intimiorem miaſmatis admitteret, neceſſario ſequeretur, quod etiam humores tenuiores, ab eo continuo ſecernendi, actutum vitiati, acres, & ád vſus deſtinatos inepti reddi deberent. Praeprimis in ſenſorio communi, a ſpiritibus vitalibus, tantopere alteratis, confuſiones maximae ſine mora exſpectandae eſſent; & tamen palam erat, permultos, vſque ad vltimum fere vitae halitum, viribus tam mentis quam corporis ſat conſtitiſſe, vt de iis nihil dicam, qui in periodo infectionis conſtituti, omnes functiones generatim, propemodum ac in ſtatu ſano exercent; quod an fieri poſſit, ſi tot humores diuerſi a ſanguine ſecernendi, corruptionem tantam, a miaſmate indeſinenter alluente paterentur, valde dubito. Quomodo infantes lactentes, vbera matrum infectarum, ad mortem vſque earum, impune ſugere, & per plures dies, ſaltem ad vitam ſuſtentandam ſatiari poſſint (exper. V.), ſi ſanguis, & conſequenter lac ab eo ſecretum, miaſmate hoc virulento contaminata fuiſſent, aeque non video. Nec recuperatio ſanitatis, multo, quam poſt reliquos morbos promptior, imo ſaepe miraculo proxima, (dum, quem ante paucas horas, a ſymptomatibus diriſſimis laceſſitum, morti propinquum credidiſti, nunc laetum & ſanum fere conſpicies) conſequi poſſet, ſi viſcera, praeſertim nobiliora, vi deletoriae miaſmatis per vaſa ſanguifera allatae, tamdiu expoſita fuiſſent. Certe, ſymptomata illa ſaeuiſſima, quae in inſultu peſtis acutae, & praeprimis acutiſſimae, tumultuarie aggrediuntur, poſt fauſtos vero ſudores derepente euaneſcunt, haud obſcure demonſtrant: cauſſam tantorum malorum, nec in ſanguine, nec viſceribus nobilioribus hoſpitaſſe, quae

tam cito, a noxis hiſce illatis in integrum reſtitui potuiſſe, omni veroſimilitati repugnat.

Tunica itaque celluloſa externa *), & hanc contegens cutis, verae paleſtrae peſtis ſunt, in quibus ſcenam ſuam praecipue ludit; & ſi alias quoque corporis partes ſubinde aggreditur, cauſſa tamen principalis ſemper hic haeret. Dolores illi vibrantes (exper. XVI.), quibus miaſma praeſentiam ſuam funeſtam annunciat, nunquam in partibus interioribus, ſed in celluloſa externa ſentiuntur. Hic, ſaepe per ſat notabile temporis ſpatium impune moratur ſeminium luis, miſeros infectos de malo, quod in ſinubus ſuis gerunt, haud ſollicitos reddens; mox vero bubones, & in cute maculas carbunculoſque progignit, quorum nec minima indicia, in contextu celluloſo interno ſuſpicari potui. In hiſce integumentis communibus, effectus primitiui, vti obſtructiones, relaxatio toni, intumeſcentiae, inſpiſſatio humorum manifeſta & ſic porro, ſaepiſſime ſine febre, vel aliis accidentibus grauioribus ſeſe exſerunt. Quamprimum vero materies haec ſtagnans, ſenſim accumulata & acris facta, verſus contextum celluloſum internum protruditur, tota extemplo caterua malorum, varia quamuis quoad vehementiam gradatione, prorumpit. Natura namque minime otioſa, febrem accendendo, ad mortalem hanc metaſtaſin e corpore, vel ad minimum e viſceribus nobilioribus, verſus priorem & propriam ſedem propulſandam, omnes impendit

*) Dignitas tunicae celluloſae, quoad cauſſas & ſedes morborum quamplurimorum determinandas, maxima mihi ſemper viſa eſt; nec ad vitia ſanguinis & humorum ab eo ſecernendorum, vnice reſpiciendum eſſe putaverim. Multas enim acrimonias in illa generari, alias foras allatas, ſaepe diutiſſime nidulari; in illa inſpiſſationes, obſtructiones & accumulationes materiae morboſae potiſſimum fieri; per illam metaſtaſes ſubinde maxime notabiles perfici, & ex eius demum varia conditione, exitum haud paucorum morborum, vnice pendere, perſuaſiſſimum mihi habeo. *Quo magis indoles corporis humani nobis innoteſcit, eo clarius euadit, ſedem morborum in ſanguine minime quaerendam eſſe:* eſt effatum celebris Medici Angli Heberden.

dit vires; quod ſalutare conamen ſi ſuccedit, infectus vel confeſtim à morbo funeſtiſſimo liberatur, vel ſaltem multo mitiorem eius decurſum experitur.

IV.

Connubium miaſmatis peſtilentis, cum adipe & reliquis ſubſtantiis oleoſis corporis humani, ſequelas tales producere videtur, vt nimirum: circulatio eorum naturalis infringatur, imo ſubinde in totum tollatur; a quiete vero hac praeternaturali, & aliis cauſſis cooperantibus, poſt motum particularum illas conſtituentium inteſtinum & quaſi fermentantem praegreſſum, deliqueſcant; acrimoniam induant; vapores ſubtiliſſimos exhalent, & tandem in magma mucoſo-viſcoſum fatiſcant.

Quod adeps omnis in corpore ſano fluidus ſit, & propria, quamvis nondum ſatis cognita ratione circulet *), minime vero ſtagnet, nec ad ſolida, vel recrementa ignobiliora referri debeat, multae obſeruationes & experimenta ita euidenter euincant, vt dubitationi nullus locus relinquatur. Porro, tanquam veritates demonſtratas & conſtantes hic reaſſumo, quod adeps ex arteriolis in cellulas continuo ſecernatur, portioque eius haud exigua per tranſpirationem inſenſibilem euolet; alia

 vero

*) Hallerus in elementis Phyſiologiae ſect. IV. adipem in omni viuo & ſano animali fluidum eſſe; a ſanguine ſecerni, & in illum circulo perpetuo redire probauit, & perplurima congeſſit obſeruata, quae circulationem eius extra omnem dubii aleam ponunt. Non tamen theoriam hanc certiſſimam, & pro dignitate humoris huius, per totum corpus tam late patentis, ſumme momentoſam, vlterius ad explicandas reliquas ſe- & excretiones in vſum traxit; quamuis in tot aliis locis de maxima earum incertitudine tantopere conqueratur. Certe, campus ſpatioſiſſimus, tam in Phyſiologia, quam Pathologia, per circulationem hanc adipis excolendus, patere mihi videtur.

vero forte inſignior venis excepta, cum ſanguinis maſſa permiſceatur, & partem eius ſat notabilem conſtituat. Hic vero circulus naturalis, infectione facta turbatur, aut confeſtim ſubuertitur. Quae jam in periodo infectionis occurrunt phaenomena, vtpote: pallor & intumeſcentia quaſi corporis, in facie & lingua praeprimis conſpicua; grauitas & laſſitudo corporis; ad ſomnum procliuitas; viſcoſitas humorum manifeſta; defectus perſpirationis; habitus corporis leucophlegmaticus, in iis, qui peſtem ſaepius perpeſſi fuerunt, nonne euidenter commonſtrant? ſecretionem adipis nunc vitiatam, aut plane ſublatam eſſe, & loco eius humores glutinoſos contextum celluloſum, ſaltem in ſtatu prouectiori, occupare. Reſorbtionem vero adipis per venas in torrentem ſanguinis imminutam, & demum interceptam, hincque effectam craſin eius corruptam, imo penuriam ſummam, reliqua omnia epigenomena indigitant, e. g. debilitas, praeprimis ex venaeſectione vel purgante, inopinata; conſiſtentia ſanguinis emiſſi quaſi arterioſi ruberrima & reſoluta (exper. XXVI.), defectum partium oleoſarum indubie arguens; cita colliquatio eius per haemorrhagias aegre ſiſtendas, & diarrhoeam ſeſe manifeſtans, &c. Quod vero circulationis huius adipis turbatio, non in omni peſtis ſpecie aequali modo, ſed in periodo infectionis lentius, in acutiſſima vero citiſſime eueniat, ex ſupra traditis abunde patet.

Ex nuperioribus experimentis innotuit, adipem omnem, praeter partes oleoſas, parcam copiam aquae, maiorem vero liquoris auſteri empyreumatici acidiſſimi, intrare, qui poſterior, in ſtatu ſano, & quamdiu adeps in mixtione naturali permanet, nequaquam ſentitur. Quamprimum vero ex ſtagnatione, acceſſu vaporum humidorum & calore, particulae oleoſae ab acidis ſecedunt, tunc corruptio eius incipiens, quae ſub nomine rancoris nemini ignota eſſe poteſt, preſſo pede inſequitur; nec aliam ſaltem ab initio locum habere poſſe crediderim. Decompoſitionem vero hanc adipis ſtagnantis, nunc tardius, nunc vero multo

multo celerius fieri, ſymptomata in experientiis XVI - XXIII. recenſita, inculcant.

Vocabulo fermentationis me abuti, ii forte incuſabunt, quibus natura adipis penitus vegetabilis, praeciſe vti chyli, lactis & butyri, minus adhuc nota erit, & qui illud tanquam productum animale, etiam alcalinae indolis eſſe, firmiter credunt. Neſcio, quid impediat, quominus motum illum inteſtinum, qui ſeceſſum particularum acidarum ab oleoſis neceſſario concomitatur, quamuis non ſemper in ſenſus cadat, hac denominatione inſigniam. Pinguedinem vero fermentationi euidenti, imo ebullienti quaſi, obnoxiam eſſe, ex relatione Martenſii patet, qui in itinerario ſuo ad Spizbergam narrat, adipem balaenarum doliis incluſum, cereuiſiae inſtar fortiter fermentare, & exhalationibus ſuis acerrimis, oculos nautarum graui inflammatione afficere. Saburra quoque illa, quae tanta copia a peſtiferis euomi ſolet, & quam in vas exceptam, fermentantem toties vidi, certiſſime adipi natales ſuos debet.

Adipem peſtiferorum ſolito liquidiorem eſſe, ſub conſectario II. indigitaui; laxitas nempe & mollities corporum in aegris jam conſpicua, & in quorum cadaueribus inſolite albidis, membra valde flexilia, nec per plurium dierum interuallum rigeſcentia (exper. XX.), toties miratus ſum, luculenter commonſtrant, adipem diſſolutum, in conſiſtentiam ſolidam (vti in aliis defunctis obtinet), haud cogi potuiſſe. Quod in volis manuum & plantis pedum, nunquam carbunculos obſeruauerim (obſ. XXXII.), hoc adipi in hiſce locis compactiori, & vi miaſmatis minus patenti tribuendum cenſeo; non ſecus ac ſebum quodcunque, particulis ſuis aquoſis, coctione, exſiccatione vel fumatione orbatum, rancori diutiſſime reſiſtit.

Ex hactenus traditis, abunde, ni fallor, liquet, ab euolutione particularum acidarum adipis, acrimoniam itidem acidam, ſub titulo

ran idae, in conſectario II. deſcriptam, enaſci; quae tamen pro varia circumſtantiarum ratione, nunc fortior, nunc debilior erit.

Vapores ex quacunque fermentatione, pro diuerſa eius vehementia, & rerum fermentantium indole, copioſos, ſubtiles & acerrimos, quandoque ſummo cum impulſu protrudi, res notiſſima eſt. Poſito ergo, tali, etiam in peſtiferorum (non tamen ſinguli indiuidui), tunica adipoſa, motu fermentante, naturali ſequela fluit, idem quoque hic euenire. Effluuia certe efficaciſſima erant, quae indicem dextrae meae, dum pulſum peſtiferi tangerem, tanquam fulmine percutiebant (hiſt. morb. V.). In experimentis, quae Clariſſ. Georgi inſtituit, vapores ex adipe rancido, praeſertim ex liquefacto vel deſtillato, ſubtiliſſimi, acerrimi & oculos afficientes copioſe promanarunt, adeo vt phiala vix aperta, totum domicilium iis impleretur; quod cum relatione Martenſii mox excitata, ex amuſſim conuenit. Prima ſymptomata peſtis acutae, maximam cum iis, quae a vaporibus carbonum, vel adipis aduſti excitari ſolent, analogiam habent, ita vt infecti communiter, hac ſolum ex cauſſa leuidenſi, ſe male habere credant. Dolores capitis; pulſatio arteriarum temporalium; rubor faciei & oculorum; guſtus fatuus; ſaliua viſcida; vomitus; febris & ſic porro, ſimillimo modo (vti ex propria experientia ſat mihi conſtitit), vtrobique infeſtant; adeo vt ſumma cum veroſimilitate concludi poteſt, vapores ſubtiliſſimos, acerrimos & penetrantiſſimos, etiam in peſte infectionem in effectum dare. Omnium namque communiſſima infectio per veſtimenta, & alias res, imo metalla quaedam, tunc praeſertim efficax eſſe conſueuit, quando e corporibus peſtiferorum ipſis, peſte lenta vel acuta, & quidem in acme conſtitutorum, effluuia, immediate in ea penetrauerint (exper. IV.); e contra, in ſtadio infectionis, vt & in initio peſtis acutae vel acutiſſimae, contagium vix ſeſe propagat (obſ. VIII.).

Ex experimento IV. ſub conſectario II. adducto, apparet, adipem rancidum vi caloris leuiſſimi, tandem in magma mucoſum, tenax,

nax, & cum aqua miſcibile ſatiſcere; quod etiam poſt ablutionem cum aqua, & digeſtionem cum ſpiritu vini, ex illo copioſe ſeceſſit (ibid. experim. VIII. IX.). Mutationem humorum oleoſorum eandem, & ex iiſdem fere cauſſis, in corporibus peſtiferorum obtinere, omnia facile ſymptomata, cum viſcoſitate ſumma coniuncta, clare oſtendunt, e. g. vnguen cutis, in periodo infectionis, & principio peſtis acutae, copioſum; ſudores viſcoſi; excrementa alui ſimilia; lentor ſaliuae & ſuburrae vomitu reiectae; intumeſcentia oedematoſa, tam in viuis, quam praeſertim mortuis conſpicua, &c.

V.

Miaſma peſtilens aggreditur I) Pinguedinem cutis. II) Mediaſtini. III) Omenti, & IV) Reliquam tunicam adipoſam.

I) Ex Phyſiologia pro conceſſo & probato pono, cutem in ſtatu ſano pinguedine teneriore oleoſa, totam quantam impraegnatam eſſe, quae in peculiares folliculos vel cryptas, a ſanguine ſepoſita, illam laxat, humectat & calefacit; & per ductus proprios adipoſos ex tota ſuperficie corporis, tum etiam per pilos & vngues continuo exhalat. Pingue hoc exhalans *), a miaſmate peſtilenti praeprimis appeti, & commixtio

*) Pingue exhalans dixit Kaav. Boerhaue, materiae perſpirabilis ſumme notabilem partem, quae in athletice valentibus ſubtiliſſima, electrica, & vix in ſenſus incurrens, perpetuo euaporat, & ex recrementis adipis ſuperflui, vitiatis, & acrimonia ſua corpori jam noxiis futuris, conſtat. Exſudatio haec oleoſa, in parte capillata capitis copioſiſſima, in facie vel collo poſt ſomnum tranquillum collecta, & per vitra pura vel panno ſicco excepta, ſtrias & guttulas oleoſas, oculo armato euidentiſſime conſpiciendas, praebet. Ex laboribus vero, & motu corporis violento, tota induſia ex oleo limpido rigida fiunt. Pinguedo haec cutanea tota fere ex cute elui poteſt, vti exemplo lotricum patet, quibus a lixiuio ſimplici vel ſaponaceo, digiti imo totae manus extremae albeſcunt, corrugantur, & dum exſiccantur, ſumme ſenſibiles fiunt, quod ipſum etiam ex ſudoribus viſcoſis, praeprimis in peſte, ſimiliter contingit.

mixtio eius intimior procliuitate quadam ſingulari affectari videtur, adeo vt, quamdiu perſpiratio recte procedit, omne contagium, etiam in continua & fortiſſima infectione, ſine vlla noxa relicta, perfecte e corpore foras eliminetur (exper. XVII.); e contra ſi turbata vel penitus ſuppreſſa fuerit, tunc effectus morboſi, pro ratione circumſtantiarum diverſi, ab acrimonia jam duplici (ſcilicet, pinguis exhalantis retenti, & miaſmatis), oriundi, haud tardabunt. Sic, dolores illi vibrantes & concuſſionibus electricis *) comparandi, qui omnium peſtis ſymptomatum primum eſſe ſolet (exper. XVI.), a jactationibus violentibus pinguis hujus exhalantis acrimonia miaſmatis imbuti, & ob tranſitum liberum per cutem praepeditam, verſus celluloſam protruſi, vnice deriuandi erunt. Nec ardores vrinae, excoriationes & ſudores pedum (exper. XII.), vti quoque appetitus praeternaturalis (obſ. XIV.), peſtis inſultum ſaepiuſcule anteuertentes, aliud quid, quam miaſmatis peſtilentis, vna cum materia perſpirabili, verſus emunctoria haec aliena protruſae, ſoboles eſſe videntur. Tandem euacuatione materiae huius peregrinae & acris per celluloſam vagantis, tam per vias naturales, quam ſuccedaneas, praecluſa: congeſtiones eius locales jam in cute primum, & demum in ſubiacente celluloſa fiunt, quae per indicia ſat luculenta, vtpote, maculas, pruritus, ardores, inflammationes & ſiderationes partiales; in celluloſa vero, per intumeſcentiam glandularum, ſeſe produnt. Si vero acrimonia mitior fuerit, nec ſtigmata haec euidentia in cute inurerit, ſaltem tonum contextus celluloſi ſenſim laxando, & adipem in magma viſcoſum permutando, effectus quamuis lentiores (vti vnguen cutis ſuperabundans; habitum corporis tumidiuſculum pallidumque; torporem; ſomnolentiam; viſcoſitatem ſaliuae excrementorumque alui, & tandem obſtru-

*) Vim electricam in effluuiis perſpirabilibus, per multa experimenta cuiçtam, a pingue hoc exhalante repetit, Phyſiologorum Coryphaeus Hallerus.

obſtructionem eius plenariam); reipſa tamen, niſi mature obuiam veniatur, periculoſos futuros, procreat.

Materia illa alba, & puri analoga, quae in puſtulis carbunculorum naſcentium, vel ſubinde in veſicis amplioribus ſubito colligitur (hiſt. morb. III.), & quae per penem cum euphoria excernitur (exper. XX.), & quae ſubſtantiam induratam bubonum, & carbunculorum ſub cruſta eorum, efficit, productum adipis, imo pingue exhalans ipſum eſſe videtur.

Analogia demum multarum ex perſpiratione ſuppreſſa, in praxi occurrentium affectionum, quae, ſi acrimoniam miaſmatis demas, phaenomenis peſtilentialibus valde ſimiles ſunt, haec omnia perbelle illuſtrat. Non ſemel, in vulnerationibus capitis, & ſpeciatim faciei grauioribus, veſiculas purulentas, ſine vlla inflammatione praegreſſa, in palpebris praecipue & labris ſubito exortas vidi. Fluor albus, in foeminis laxioris habitus, ex retropulſione ſudoris pedum ſaepe originem ducit. Sed vulgatior eſt obſeruatio infarctus & intumeſcentiae glandularum a perſpiratione cohibita. In Paronychia, & aliis laeſionibus cutaneis grauioribus, extremitatum tam manuum quam pedum, glandulae ſubaxillares & inguinales vel crurales intumeſcunt. Tumores glanduloſi in capite & collo, a repercuſſa tinea, vel refrigerio, praeſertim in iunioribus, frequentiſſime oboriuntur. Quae phaenomena, ſat clare ni fallor, indigitant: pingue cutaneum, ſi excretio eius per vias naturales praepedita fuerit, per telam celluloſam, in glandulas proximas tranſuehi, & ibi accumulari ſolere.

II) Tunicam adipoſam mediaſtini, vi deletoriae miaſmatis immediate fere obnoxiam eſſe, exinde jam ſequitur, quod aſpera arteria, quoad partem, in eius cauitate ſita ſit; hinc primam eius impreſſionem, quando nempe per relaxatas tunicas aditus datur, pati debet. Pulmones e contra, qui nullum adipem habent, a contagio liberi permanent, nec in peſtiferis ſigna laeſionis eorum vnquam animaduertere potui. Quae

in principio peſtis acutae occurrunt phaenomena, vtpote: dolor capitis acutus, rubor faciei & oculorum, eorumque quaſi ſcintillatio *), lacrymatio & protuberantia, febris, ſine horrore manifeſto praegreſſo &c. non niſi a ſanguinis verſus caput congeſtione validiore, & haec iterum a turgeſcentia celluloſae mediaſtini & colli, vaſa maiora, praeſertim venas jugulares comprimentis, deriuari poſſe videntur. Sputa ſanguinolenta pituitoſa (exper. XX.), ex celluloſa mediaſtini prodire, pluſquam veroſimile eſt. Abhinc malum, in reliquum contextum celluloſum omnem, praeſertim in ventriculum & ei annexum omentum, per adiacentes tunicas oeſophagi in conſenſum tractas & relaxatas communicari, eo probabilius eſt, quod nulla alia via **), qua progreſſus tam ſubitaneus perfici

*) Similem fere ſcintillationem oculorum, in ebrioſis, fumo tabaci juſto plus indulgentibus, & foeminis fuco faciei ex praeparatis plumbeis abutentibus, obſeruaui; in quibus nempe facies intumefacta quaſi, & ex vnguine cutis copioſo viſcoſe niteſcens, conſpicitur.

**) Quod inter aſperam arteriam & ventriculum, ſaltem in quibuſdam morbis, via immediate patula exiſtat, in praxi medica verſatos, & tantillum attentos vix fugere poteſt, etiam ante ſeculum Thomas Bartholinus ſuſpicatus fuit. Multae tuſſes humidae, ſcaturiginem ſuam, in ipſo ventriculo manifeſto vel eo ipſo produnt, quod patientes ſub ſcrobiculo cordis (ergo non in cauitate pectoris), ſenſum illum titillantem, grauantem & quaſi fermentantem, ante ſingulos ſcreatus fortiores, perſentiant; hinc vulgo, tuſſium ſtomachalium nomine inſigniuntur. Non ſemel mihi contigit, tuſſes moleſtiſſimas & ſaepe conuulſiuas, ab acrimonia acida ventriculi productas, doſibus aliquot remediorum abſorbentium, citiſſime tollere. In tuſſi ferina, poſt vomitum multae pituitae, eidem, quae per aſperam arteriam excernitur ſimillimae, leuamen notabile & quies ſaltem quoad tempus obtineri ſolet. Vidi aegrotos, qui poſt pleuritidem ſuppuratam, alternatim, & ſputa copioſa purulenta ſanguine tincta, exſcrearunt, & quoad omnes dotes aequalem materiam, vomitu rejiciebant: vt multas alias obſeruationes & argumenta viam hanc praeternaturalem comprobantia nunc taceam. Hinc tuſſium talium fontes, a multis in pulmonibus inepte prorſus quaeruntur, & methodi medendi, certe non adaequatae tentari ſolent. Si namque relaxatio tunicae celluloſae mediaſtini (vti opinor), multarum tuſſium & phtyſium apparentium

perſici poſſit, pateat. Nam ſymptomatis praedictis, in ſubiecto alias quamuis ſaniſſimo ſeſe manifeſtatis, etiam ventriculi affecti indicia, vti: anorexia, guſtus deprauatus, nauſea & tandem vomitus, in continenti ſequuntur. Similitudo illa maxime memorabilis ſymptomatum in principio peſtis acutae occurrentium, cum illis, quae ex vaporibus empyreumaticis excitantur (cfr. conſect. praeced.), & manifeſto ab aëre inſpirato virulento vnice proficiſcuntur, indubie euincere videtur, effectus eosdem, quamuis a cauſſis diuerſis in vtroque caſu, in celluloſitate mediaſtini produci, eademque via verſus ventriculum propagari.

III.) Quantum omentum, magna illa pinguedinis penus, a miaſmate petatur, demonſtrant reiectiones per vomitum copioſiſſimae, ſaburrae illius virideſcentis & fermentantis fere *).(exper. XVIII.), quae nunc citius nunc tardius eueniunt, nec quicquam aliud, quam illuuies adipis omenti vitiati, & in maſſam viſcoſam fatiſcentis, eſſe poſſunt. Certe, tam enormis jactura ſubitanea, aliorum humorum qualiumcunque, debilitatem ſummam poſt ſe trahere deberet; dum hic e contra, leuamen quamuis haud conſtans ſemper adfert. Color virideſcens, quid aliud, quam corruptionem rancidam, vti motus ille fermentans, particularum acidarum ab oleoſis receſſum, hincque effectum motum inteſtinum, denotant? Tandem diarrhoea in prouectiori ſtatu oboriens, jam pinguedinis huius, poſt largas euacuationes factas, defectum arguit, vti infra dicetur.

tium cauſſa ſit, non mirum erit, quod remediis emollientibus, temperantibus, oleoſis, diluentibus calidis & ſic porro, tam parum proficiatur; e contra potus gelidi, vapores adſtringentes & roborantes, vti etiam remedia talia, inexſpectatos fere effectus ſalutares producant.

*) Conſimilem ſaburram virideſcentem & fermentantem, in dyſenteria praeſertim in initio, per aluum exoneratam, ſaepe vidi, & tunc medicamenta antacida & abſorbentia cum radice rhei, optimo cum ſucceſſu vſurpaui.

IV.) Reliqua pinguedo, quae in tunica celluloſa ſub cute, tam inaequali craſſitie & conſiſtentia haeret, ſerius quidem, & non ſemper, nec generatim a miaſmate inquinatur. In iis, quibus in periodo infectionis, vel principio peſtis acutae & acutiſſimae, per ſudorifera perfecte liberari contigit, tunicam adipoſam vix affectam fuiſſe, prompta eorum conualeſcentia declarat; nec in ſubito peſte acutiſſima defunctis, corruptionem per totum eius ambitum, tam cito penetrare potuiſſe, veroſimile eſt. Locum vero inprimis in peſte lenta, & prouectiori ſtatu acutae habet, nam hic, per moram plurium dierum profundius ſerpit, & totam maſſam pinguedinis ſucceſſiue inficit, quod a colore adipis tunc profunde luteſcente, & conſiſtentia iuſto fluidiore, tum etiam ab inſolito pallore, laxitate & flexibilitate omnium membrorum poſt mortem colligi poteſt; dum alia cadauera, in quibus adeps haud alteratus, in ſebum quaſi cogitur, rigeſcere ſolent. Hoc quoque pro certo teneo, miaſmatis peſtilentis exaltationem & incubationem quaſi, in tunica adipoſa profundiori vnice fieri; nec in periodo infectionis, peſte acutiſſima, vel principio peſtis acutae, contagium in alios efficax a peſtiferis promanare (obſ. VIII.).

VI.

Quod miaſma peſtilens, inaequali prorſus modo, nec ſemper cito inficiat; imo quibuſdam innoxium fere ſit: hoc diverſae modificationi acrimoniae eius; energiae naturae robuſtioris, contra impreſſiones eius diutius reluctantis; & diſpoſitionis, ad infectionem in actum ducendum, abſentiae, tribuendum erit.

Ex deſcriptione diuerſarum peſtis ſpecierum (exper. XV-XXIII.), abunde patet, quam multiplici & diſſimillima facie ludat, ita vt in nullo alio morbo, vtut intricato, diſcrepantia tanta, praeprimis quoad vehemen-

hementiam & decurſum morbi, obſeruare detur; & quod miaſma etiam efficaciſſimum, multos, admiſſioni eius quamuis continuae obnoxios, aut ſerius, h. e. per plures dies vel ſeptimanas, aut vix ac ne vix quidem polluat, ſub exper. XVII. oſtendi. Diuerſitatis itaque valde notabilis rationes ad minimum probabiles eruere, haud ſuperuacaneum erit.

Acrimoniam miaſmatis, minime eandem ſemper eſſe, ſed quamplurimis gradationibus, a ſumma virulentia, vſque ad inſenſibilem fere inertiam attenuari, omnes apparitiones clare indicant. Sic e. g. miaſma, quod duos milites, ſupra tumulum veſtimentorum infectorum indormientes, ſubito necauit (exper. IV.), ſine dubio multo fortius fuit, quam quod in periodo infectionis ſubinde in longum protracta, non niſi leuidenſes a ſanitate receſſus, aut in initio, vti quoque in fine graſſationis, bubones fere innoxios, aut demum poſt ceſſationem luis ipſius, peſtilentiales vel alius mali moris febres, peſte ipſa ſporadice tantum proſiliente, procreat. Maiorem quoque vehementiae miaſmatis gradum, decurſus peſtis breuiores & carbunculi frequentiores in ſummo eius vigore occurrentes, imo in quouis fere peſtifero, omnia aliter contingentia, diſcrepantiam perpetuam, indigitant.

Poteſt quidem miaſma debilius & torpidum quaſi, in tunica adpoſa ſubinde diutiſſime, ſine noxa euidenti nidulari, vti exemplis legionum integrarum (exper. XVII.), & ex affectionibus leuioribus tempore peſtis communibus (exper. XII.), liquet; imo inceſſanter ſuſcipi e. g. in Noſocomiis peſtilentialibus; non tamen illico in actum erumpet, aut ſaltem tardius inualeſcet, ſi natura robuſtior, vi eius deletoriae efficaciter reſiſtere valeat, & non niſi pedetentim ſuccumbat. Quamprimum vero cauſſae occaſionales grauiores (exper. IV.), infectioni huic clandeſtinae ſuperueniunt, tunc vna alteraue ſpecies peſtis, pro ratione vehementiae miaſmatis & efficaciae occaſionum, varia, ſeſe manifeſtare neutiquam morabitur.

Ad

Ad difficultatem illam apparentem ſoluendam; cur, nonnulli vi miaſmatis quamuis fortiſſimae continuo expoſiti, peſtem vix ac ne vix quidem contrahant? axioma illud pathologicum: quod nempe cauſſa occaſionalis morbum ipſum haud producat, niſi praediſponens adſit, egregie facit. Omnes enim obſeruationes confirmant, nihil a miaſmate praeſente timendum eſſe, ſi diſpoſitio peculiaris, receptioni eius contrarietur, aut cauſſae illud jam ſuſceptum in effectum dantes, deficiant. Hinc cachectici, ſcabioſi, tabidi, ſenes, infantes tenelli & leucophlegmatici, ab inſultu peſtis fere immunes viſi ſunt (exper. V.), quia adeps in corporibus horum parcior, aut nullus, aut ſaltem quoad craſin vitiatus, proſtat. Hinc omnes, qui ſtomacho robuſto, & perſpiratione illibata gaudent, haud inficiuntur, ſed acria & ſumme quamuis actiua effluvia miaſmatis introadmiſſa, per emunctoria patula, plerumque ſine vllo incommodo, vltro exhalant.

Quo fortius itaque miaſma ſuſceptum; quo maior ad illud recipiendum diſpoſitio, & quo efficaciores cauſſae occaſionales exſtiterint: eo vehementiorem, citiorem & periculoſiorem inſultum peſtis fieri, & ratio ſuadet, & experientia pleniſſime confirmat; tum vice verſa.

VII.

Veroſimile eſt, quod miaſma peſtilens, non vnice rebus infectis adhaereat; ſed etiam plus minuſue dilutum, per atmoſphaeram loci grauius vexati ſeſe diffundat.

Populus Moſcuenſis, de exiſtentia miaſmatis neutiquam dubitans, illud immutabile & aequaliter efficax per aërem vagari perſuaſum ſibi habuit, & hanc ob rationem, praecautiones quoad intimiorem rerum peſtiferarum attactum, tanquam ſuperfluas repudiauit *). Vt opinio haec,

tantas

*) Peſtis, idiomate ruſtico, *moromoje powetrie*, audit, quod mortalem aëris conſtitutionem denotat.

tantas poſt ſe noxas trahens, animis hominum eximeretur, juſſu ſummi reginiinis, & vnanimi fere Medicorum conſenſu, omni data occaſione, tam viua voce, quam ſchedis publicatis, inculcabatur: effluuia contagioſa, ſe per atmoſphaeram vix ac ne vix quidem expandere, ſed rebus infectis vnice inhaerere; quia ſi aër vndique inquinatus eſſet, infectionem non ſucceſſiuam, ſed breui generalem fieri debere, quod tamen non ita euenit; e contra Medici & Chirurgi, qui peſtiferos tam aegros quam mortuos continuo inſpicere tenebantur, fere omnes ſalui & immunes, aedeſque multae, etiam populoſae, debitis cautelis adhibitis, a peſte liberae permanebant. Vtut ſpecioſum, & ad plebem attentiorem reddendam accomodatum, argumentum hoc primo intuitu appareat; multae tamen rationes pro contraria ſententia militant. Notum eſt, acria ſalina & venena fortiſſima, in vehiculo conuenienti eouſque attenuari & dilui poſſe, vt omnis fere acrimonia euaneſcat: quidni idem de miaſmate peſtilenti praedicari poteſt, quod vtcunque ſubtile, corporeum tamen, & in menſtruo ſuo appropriato ſcilicet aëre, ſolubile erit. Certe aër elaſticus, ſiccus & frigidus miaſma diluit, eneruat & tandem deſtruit (exper. VII.); ſecluſus vero, vapidus & tepidiuſculus, illud non tantum diutiſſime retinet, ſed etiam exaltat, & ſumme efficax reddit (exper. IV.). Nec credibile eſt, quod miaſma hoc, contra vnanimem de eo ideam, tam rudis ſubſtantiae ſit, vt in auram vix tranſpiret, dum reliqua producta animalia, vapores ſuos immenſum quantum volatiliſatos, longe lateque diſpergant, vti exemplis Zibethi, Moſchi, & praeprimis effluuiorum illorum, quorum ope canes ſagaces & ferae, non tantum cadauera e longinquo, ſed etiam veſtigia ſubolent & diſcernunt, patet; vt exhalationes aquarum & aliarum rerum fermentantium & putreſcentium, odoreſque ſingulares multis morbis e. g. variolis, dyſenteriae, phtyſi conſummatae &c. proprios, cum aëre circumcirca ſeſe propagantes, nunc taceam. Subtilitatem vero, & per atmoſphaeram expanſionem eius latiſſimam, plurima phaenomena commonſtrant. In

experi-

experimentis cum adipe rancido inſtitutis, vapores copioſiſſimi valde penetrantes, ſat notabiliter percipiebantur (cfr. conſect. II); quod phaenomenon etiam in pinguedinem a miaſmate corruptam quadrare, ex praecedentibus elucet. Obſeruationes quoque numeroſae edocuerunt, contagium peſtis, variis rebus, a peſtiferis nequaquam contrectatis, dummodo in vicinia eorum fuerint, ſeſe inſinuaſſe; vel ſi infectus conclaui, praeprimis fornicato, immoratus fuerit, & hoc poſtea per aliquod temporis ſpatium occluſum reſtauerit, peſtem ipſam, facta eius apertione, ex contactu rerum in eo contentarum extemplo ſuſcitatam fuiſſe; imo res variae, in loco peſte vexato, ſine omni ſuſpicione innoxie tractatae, & diu poſt, etiam in regionibus valde remotis explicatae, lucem ipſiſſimam produxerunt (cfr. exper. IV.). Quae omnia nonne indigitant, contagium ex aëre in res haſce irreptaſſe, & vtcunque tunc leuidenſe & iners, tandem mediante fermentatione inteſtina, exaltatum & efficax redditum fuiſſe? Et vnde quaeſo? tot inopinati peſtis inſultus, ex terrore, metu, iracundia, venere intempeſtiua, vaporibus calidis, venaeſectionibus, purgantibus, erroribus diaetae grauioribus &c. vbi nec minima indicia, contagii aliunde ſuſcepti, expiſcari datum fuit, niſi ſeminia eius, vtcunque hucuſque torpida, in aëre praeſto fuiſſent, vel in corporibus ipſis jam latitauerint; quod eodem redit, & infectionem generalem fere, quamuis innoxiam, & vix ſemper actu erumpentem, arguit. Affectiones inſolitae & copioſae, peſtem concomitantes in exper. XII, deſcriptae; ſymptomata infectionis leuioris in integris legionibus (exper. XVII.) per ſudores euaneſcentia; color faciei pallidus, & torpor fere generalis incolarum, praeſertim cum peſtiferis conuerſantium, quoad caetera quamuis ſanorum; vti quoque ſilentium aliorum morborum epidemicorum (exper. XI.) clare ni fallor commonſtrant, cauſſam peſtis, h. e. miaſma, quantumuis debile, in aëre, tanquam pabulo vitae vniuerſali, haerere, quae, dummodo occaſionalis efficacior ſuperuenerit, peſtem ipſam producere valeat, & ſeminia reliquorum miaſ-

matum,

matum, in atmoſphaera volitantium, acrimonia ſua praepollente obtundat. Effectus ſiccitatis, frigoris, & ventorum tam borealis quam euroaquilonis, nunquam tam ſalutares forent (exper. VII.), ſi miaſma ab aëre vix ac ne vix quidem extraheretur; nec infectionis tunc finis, in tanta multitudine rerum infectarum, ſperandus eſſet. Quantum vero perflatio & euentilatio rerum ſuſpectarum conducat, vel exinde patet, quod miaſma, in ciſtis vel aliis locis quorſum aër penetrare non potuit, arcte occluſis, diu, imo per plures annos actiuum permanſerit. Defectus apparens auium & inſectorum, vti quoque mortes auicularum in caueis detentarum (exper. VIII.), etiam in aliis peſtibus obſeruatus, non niſi acrimoniam aërem inquinantem, illis aura puriore indigentibus intolerabilem, pro cauſſa agnoſcere poteſt. Odor ille ſingularis, a nonnullis in momento infectionis perceptus (obſ. XV.), & dolores illi grauantes, quos in regione cicatricum, tempore vigoris luis, ſe haud interrupte perſentire aſſueurarunt, qui dudum in aliis peſtibus ex carbunculis vel bubonibus conualuerunt, quamuis nunc a peſte immunes reſtarent (exper. XII.), expanſionem miaſmatis per aëra ſat generalem inculcant. Concludi itaque poſſe autumauerim, atmoſphaeram, miaſmati forti & actiuo quo propiorem, eo magis effluuiis eius efficacioribus inquinatam eſſe; quo longius vero a locis infectis, eo debiliorem, & tandem inertem fieri; vel ex ſeminiis decompoſitis quaſi, non tam peſtem ipſam, quam alias febres ei analogas, praeſertim petechiales in initio (exper. II.) progigni. Cur vero aër peſtiferus, non omnes indiſcriminatim inficiat? in conſectario praecedenti dictum fuit.

VIII.

Quae in initio peſtis occurrunt febres petechiales (exper. II.); in vigore, affectiones variae morboſae (exper. XII.); & in fine febres malignae (exper. X.); quantumuis a

peſte ipſa diuerſae appareant: eam tamen proxima cognatione attingere, & a miaſmate peſtilenti, per atmoſphaeram valde diluto, & quodammodo inerti reddito, produci videntur.

Peſtis cum nullo alio morbo tantam ſimilitudinem habet, ac cum febre petechiali, adeo vt, niſi in peſte lenta bubones & carbunculi adeſſent, hanc ab illa, non facile diſtingueres. Imo contagii petechialis, quando populariter graſſatur, cita propagatio & mortalitas ſumma, ſuſpicionem peſtis ſubinde mouet. Durante bello Pruſſico, non ſemel euenit, vt in pagis vel oppidis, pro Noſocomiis militaribus deſignatis, ex oborta febris petechialis epidemia, non tantum milites, ſed etiam incolae, apud quos cumulatim decumbebant, non ſecus, ac a vera peſte, cladem inſignem paterentur. Menſe Maii, anni MDCCLXXIII. Moſcuae, juſſu Gubernatoris generalis, carcerem magnum (oſtrog nominatum), viſitaui, vbi mortes ex febre petechiali numeroſae, terrorem peſtis rediturae incutientes, ſubito inualuerunt; remotis vero eius cauſſis, breui omnia in meliorem ſtatum permutabantur. Differt tamen febris petechialis vulgaris, ab illa quae peſtem anteuertit, in hoc praeſertim puncto, quod in hac poſteriori, bubones jam & carbunculi, ſaltem in quibuſdam aegrotis proſiliant, quos in priori, vtcunque perniciosa, nunquam obſeruaui. Nam intumeſcentia parotidum, & metaſtaſes gangraenoſae interdum prouenientes, hic in cenſum venire vix poſſunt, vti ſub exper. XIV. jam monui. Nec contagii diſſeminatio in quoſcunque indiſcriminatim, vel vltra locum affectum fieri ſolet, ſed ſublatis cauſſis plerumque fit manifeſtis, aut penitus ceſſat, aut rarior omnino euadit. Videtur itaque miaſmatis febrium petechialium vulgarium indoles, peſtilenti prope quidem accedere; aſt in hoc multo ſubtilius, acrius & penetrantiſſimum, non ſolum humores lymphaticos & oleoſos, ſed etiam adipem ipſum, peculiari propenſione inſectari & labe ſua inficere.

Aegri-

Aegritudines illae leuidenſes, quae in vigore peſtis tam vulgares ſunt, non vero luem ſemper prouocant, haud obſcure arguunt: miaſma peſtilens, quamuis debiliſſimum, cauſſam earum remotam eſſe. Nam aliàs vix tam frequenter comparent, & omnibus rite penſitatis, euidenter apparet, eas ab acrimonia acida originem ſuam ducere. Ardores vrinae; dolores rheumatici; ſenſationes doloroſae in antiquis ſedibus apoſtematum & haemorrhoidum; puſtulae lympha acri ſcatentes; excoriationes digitorum pedis; exanthemata purpuracea ſine febre, & pollutiones nocturnae inſolitae, quid aliud indigitant? quam acrimoniam humoribus inductam, quam natura hinc inde deponit, & dum perſpiratio jam vitiata eſt, per vias ſuccedaneas foras eliminare ſatagit. Furunculi nucleis ſuis induratis, adipem jam ipſum, vim coagulantem miaſmatis, ſaltem localiter expertum fuiſſe, teſtantur. Acrimoniam vero hanc acidae, & conſequenter eiuſdem, ac miaſma peſtilens naturae eſſe, omni dubio caret; & ne in aſſertione hac probanda diffuſus ſim, praeſentiſſimum, in affectionibus hiſce, ſi quae curationem poſcunt, e. g. ardores vrinae, dolores rheumatici, exanthemata &c. vel ex abſorbentibus ſolis, vel cum rheo commixtis, aut alcalinis demum remediis leuamen, non ſimplici vice allatum, pro vlteriore demonſtratione ſufficiat.

Notum eſt, peſtem non ſemper ita plenarie finiri, vt nec veſtigia poſt ſe relinquat; ſed perſaepe, quando cautelae rigoroſiſſimae negliguntur, vel ſtricte obſeruari non poſſunt, denuo recrudeſcere, vel ſaltem ſporadice hinc inde propullulare; aut denique ſub aliorum morborum ſat pernicioſorum larua, energiam ſuam, quamuis jam multùm obtuſam, exerere. Eius ſane ſoboles, febres illae acutiſſimae peſtilentiales, re-et intermittentes & purpuraceae ſunt, quae furore luis quamvis ceſſante, in locis antea infectis, ſubinde inualeſcunt, & in viciniam ſeſe exſinuant (cfr. Hiſt. peſt. & exper. X.). Quamuis criteriis pathognomonicis, bubonibus puta, carbunculis & maculis vtplurimum ca-

reant, & ſub diuerſa a peſte facie, curſus ſuos abſoluant; nihilominus contagium euidens; ſymptomata plurima conſimilia; pernicies ſumma, niſi eodem fere modo, ac peſtis ipſa, tractentur, & tandem in peſtem ipſam quandoque tranſitus, ſi cauſſae occaſionales grauiores ſuperuenerint, miaſma peſtilens debilius, tanquam cauſſam ſuam remotam, indubie inculcant. Quamprimum peſtis vndique in vicinia exſtincta, & communio omnis cum locis infectis, etiam ex longinquo praeclufa fuerit: tunc illico ceſſant, nec aliis temporibus epidemiae tales occurrunt. Videntur humores potiſſimum lymphatici & oleoſi, ab acrimonia miaſmatis eneruata, inquinari, & illud, tunc demum pinguedinem adoriri, quando perſpiratio a quacunque cauſſa penitus ſuppreſſa fuerit. Sic, in Congreſſu pacis Fockſchanenſi in cellario aulico, cellis vinariis fornicatis multum immorante, peſtis ipſa cum ſignis ſuis characteriſticis prorupit; febres vero mali moris reliquae, ſine his graſſabantur.

IX.

A miaſmate vero efficaciori deducenda erunt phaenomena, quae in periodo infectionis (exper. XVI.) occurrunt, & eius in cute, vel proxime ſubiecta tunica adipoſa, vna cum pingui exhalante depoſitionem; perſpirationem turturbatam; ventriculi & inteſtinorum actionem laeſam; lentorem humorum, & relaxationem ſucceſſiuam totius contextus celluloſi manifeſto indicant.

Quod miaſma, quamuis fortiſſimum & creberrime ſuſceptum, non ſemper inficiat, ſed quouſque tonus primarum viarum praeſertim ventriculi, & integumentorum communium, illibatus perſtat, innoxie exhalet, vel ſaltem per vias ſuccedaneas e corpore eliminetur, jam ſupra exper. XVII. & conſect. VI. oſtendi. Quamprimum vero, ſalutari huic

huic euacuationi remorae factae fuerint, tunc ex hac retentione, ſequelae, pro varia gradatione miaſmatis, aut cauſſarum occaſionalium *), nunc grauiores, nunc leuiores, confeſtim inſequuntur. Ex cenſu harum poſteriorum ſunt, quae in periodo infectionis, furtim quaſi irreptant, & fallaci ſua lenitate imponunt.

Dolores illi vagantes (exper. XVI.), ab acrimonia miaſmatis cauſtica, neruos in contextu celluloſo externo obuios arrodente indubie producti, tunc demum plenarie ceſſant, quando in parte quacunque cutis maculae, & ſubinde ſugillationes **) quaſi ampliores, vel carbunculi oboriuntur, aut glandula quaedam in tunica celluloſa jam intumefacta fuerit; nec amplius redeunt, quamuis infectus in conſortio ſumme peſtiferorum verſetur. Videtur itaque, etiam quod nouum admittitur contagium, nunc jam liberius in contextu celluloſo moueri, & tanquam in partes minus reſiſtentes, verſus loca haec affecta, transferri & colligi. Depoſitionem vero hanc, non tam miaſma ſolum, vtpote ſubtiliſſimum, ſed praeſertim pingue exhalans cum eo intimius coniunctum efficere poſſe, palam eſt (cfr. conſect. V.). Ariditas quoque macularum latiorum (exper. XVI.), vlcerumque in ipſo exordio infectionis (obſ. III.) ſtatim inducta, oſcula vaſorum perſpirantium, & praeprimis ductuum pinguiferorum obſtructa, euincit.

 Per-

*) Cauſſae hae occaſionales diuerſae admodum eſſe poſſunt, e. g. errores in diaeta & reliquo regimine grauiores; contagii vehementiſſimi iterata admiſſio; affectus animi grauiores; diſpoſitio ad miaſma recipiendum apta &c.

**) In matrona illuſtri, ab applicatione corticis Daphnis mezerei Linn. (Garou gall.), in brachio, altero die, non ſolum maculae fuſcae circumcirca, ſed etiam in tunica albuginea oculi eiuſdem lateris, ecchymoſis nigerrima, eidem quam in peſte vidi ſimillima, ſed ſine febre & aliis ſymptomatis oboriebantur. In alia ſed magis repleta domina, cruſta ſphaceloſa, tanquam carbunculus humidus, ex eadem cauſſa, loco inflammationis exſpectatae, excitata fuit.

Perſpirationis negotium, in periodo infectionis turbatum eſſe, vnico illo argumento, & quidem ni fallor, ſat ponderoſo, probari poteſt, quod tota quanta morboſa facies, illico in ſanitatem integram permutetur, quamprimum perſpiratio per ſudores reſtituatur. Pallor; habitus toroſus quaſi leucophlegmaticus, torpor & laſſitudo corporis; ad ſomnum procliuitas & ſic porro, certe nihil aliud, quam accumulationem humorum, per tranſpirationem excernendorum, eorumque in cute & cellulоſa ſtagnationem ſignificant. Quod vero periodus infectionis tam inaequalis durationis ſit, adeo vt in quibuſdam per plures ſeptimanas protrahatur, in reliquis vero gradatim, vſque ad perpaucas ſolummodo horas, peſtis ipſius inſultum anteuertat, alia omnino ratio vix reddi poteſt, quam perſpirationis nunc totalis, nunc ſucceſſiua cohibitio, & eius verſus interiora diuerſimode effecta propulſio. Sic, excitato ſpaſmo cutis generali a terrore (exper. XXVI.), aut ventriculo ex repletione nimia atono facto (hiſt. morb. VII.), peſtis acutiſſima inopinato oborta fuit. A relaxatione cutis per vapores calidos, & praeprimis balnea, peſtis acuta accerſitur (exper. IV.). Non itaque penitus ſuppreſſam, ſed imminutam vel vitioſe ſaltem procedentem perſpirationem, periodus infectionis, in longum protracta praeſupponit. Poteſt quidem excretio haec tam neceſſaria, partialiter ſolum impedita eſſe, & in reliqua ſuperficie corporis quomodocunque protrudi, e. g. quando jam ſugillationes & intumeſcentiae glandularum adſunt; aut materia perſpirabilis vitioſe & imperfecte, per ſudores pedum, vrinas acres & alias vias ſuccedaneas euacuari. Vnguen cutis in hoc ſtatu praeternaturaliter auctum, quod non niſi pinguis exhalantis, in poris cutaneis accumulati, & in magma viſcidum ſatiſcentis productum eſſe poteſt, excretionis hujus ſumme neceſſariae vices quodammodo explet, & in peſtis acutae primordio copioſiſſimum eſſe ſolet, vti in me ipſo & aliis toties obſeruaui. Pocillator coffeae aulicus, qui nobis Moſcuae in Palatio Imperiali diuertentibus, mane quodam potum hunc porrigebat, ſanum ſe omni-

no

no credidit, quamuis carbunculus in gena enaſcens, & inſimul tota facies quaſi butyro illinita reſplendens, ab omnibus conſpiceretur. Sordes illae copioſiſſimae, quae vna cum ſudoribus ſalutaribus prodeunt; vel qui corporibus peſtiferorum, praeſertim extremitatibus eorum adhaerent ſqualores, non niſi ab vnguine cutis deriuari poſſunt.

Vulgaris obſeruatio eſt, primas vias confeſtim labefactari, & actionem earum laedi, quando perſpiratio a quacunque cauſſa impedita aut ſuppreſſa fuerit. Conſenſus hic valde notabilis, inter ventriculum inprimis & integumenta communia etiam ex Anatomia illuſtrari poteſt. In peſte omnino tam euidens eſt, vt omnia facile phaenomena, ex illo fonte, prono alueo fluere videantur. Certe, quamdiu tonus ventriculi & perſpiratio, in ſtatu ſano, vel ad minimum ei proximo permanent, non multum ab infectione timendum, & in hiſce duabus conditionibus obtinendis omnes cautelae prophylacticae ſpeciales conſpirant (cfr. exper. XXX). Primae etiam in periodo infectionis a ſanitate aberrationes, vtut leuidenſes, ventriculi tamen & inteſtinorum actionem ſucceſſiue langueſcentem produnt; nam perſpiratione partialiter ſolum vel vitioſe procedente, appetitus ciborum ſenſim minuitur & tandem penitus proſtratur; moxque nauſeae, guſtus deprauatus, flatulentiae, & aluus ſegnis ſuccedunt. Nec dolores capitis grauantes, & ſubinde lipothymias irregulariter reuertentes aliam cauſſam agnoſcere, vel exinde patet, quod ab analepticis & ſtomachalibus remediis tollantur, aut ſaltem manifeſte ſubleuentur. Haec omnia atoniam primarum viarum (praecipue ventriculi), in periodo infectionis jam incipientem, ita clare (ni omnia me fallunt) commonſtrant, vt viteriore probatione haud opus ſit.

Perſpiratione itaque diminuta, vitiata, tandemque ſuppreſſa, & atonia primarum viarum inducta, lentor in humoribus oleoſis, conſequentia naturali, oboritur, hocque eo magis, quia & miaſma peſtilens veroſimiliter acidae indolis eſt, & prima ventriculi debilitati ſequela, in acrimoniae acidae productione conſiſtat. Ab acrimonia vero acida

da viſcoſitates in corpore progigni in confeſſo eſt. Hinc ergo eluceſcit, cur oſcula ductuum pinguiſerorum perſpirationi dicatorum, in periodo infectionis ſenſim obſtruantur; ſudor elicitus glutinoſus ſit; vnguen cutis iuſto copioſius, ſuperficiem cutis obſideat; ſaliua & reliqui humores, vel tantillum oleoſa indole praediti, lenteſcant; mucus viſcidus linguam contegat & os impleat; aluus pigreſcat; ſaburra pituitoſa tam copioſa in ventriculo breui producatur, & excrementa alui conſiſtentia ſimili gaudeant.

Relaxationem denique contextus celluloſi ab hiſce cauſſis productam, intumeſcentia oedematoſa praeſertim in facie conſpicua; pallor & laxitas integumentorum communium; linguae moles increſcens; inflatio abdominis & obſtructio alui pertinax mox inſequens, abunde demonſtrant.

X.

Vt obſtructio haec materiae perſpirabilis adhuc mobilis, per ſudores ſalutares tollatur: humorum verſus peripheriam corporis moderatus propulſus, & ventriculi robur reſtitutum, requiritur.

Veram & vnicam, in periodo infectionis, indicationem in eo poſitam eſſe, vt nimirum recrementa pinguis exhalantis, cum miaſmate peſtilente intime coniuncta, viſcoſa, & canales excretorios cutis obſtruentia, quamdiu adhuc mobilia ſunt, quantocyus exturbentur; & natura mali hucuſque a me expoſita, & quam maxime, experientia irrefragabilis, extra omnem dubii aleam ponunt. Nulla ſane alia ſalus, in periodo infectionis praeſertim prouectiore, quam quae ex perſpiratione reſtituta, & quidem facillima citiſſimaque, redundat; ita vt nullus dubitem aſſerere, maximam partem peſtiferorum ſeruari poſſe, dummodo mediis hunc in finem conducentibus, tempeſtiue vterentur. Teſtantur

tur hoc porro, omnes facile hiſtoriae peſtium, ab autoptis ingenue conſignatae: imo, infenſiſſimi methodi diapnoicae aliàs oſores *), praeſtantiam eius in peſte confiteri coguntur. Multum tamen authoritati eius exinde detractum fuit, quod, aut intempeſtiue, dum jam infarctus materiae perſpirabilis in ſtatu prouectiori tenacior & profundior, euacuationem eius impoſſibilem redderet, tentata, aut media quaecunque, ſaepiſſime praepoſtera, ad ſudores quomodocunque extorquendos, tumultuarie & ſine delectu vſurpata fuerint. Nam, maximum ſane, inter ſudores ſalutares & colliquatiuos, diſcrimen intercedit. Illi tepidi, h. e. ex ſuperficie cutis incaleſcente & naturaliter rubente prodeuntes, vniverſales, copioſi, viſcoſi, acidum ſpirantes, reſerationem canalium perſpirantium obſtructorum factam, materieique perſpirabilis ſtagnantis & corruptae expulſionem; hi vero vtplurimum frigidi, partiales, tenues & nullum fere odorem ſpargentes, non niſi diſſipationem violentam partium aquoſarum, magmate obſtructo reſiduo ſolidiore tantum effecto, indicant. Hinc itaque ratio patet, cur ſudorifera in principio ſolummodo peſtis, quouſque materies obſtructa adhuc mobilis eſt, effectum optatum edant; inpoſterum jam, non ſolum inutilia ſed noxia futura. Terminus mobilitatis huius non ſemper facile determinari poteſt, quia tot circumſtantiae diuerſiſſimae concurrunt; hoc tamen certum eſt, quod per totam periodum infectionis, ſubinde ſat in longum protractam, in peſte acuta per nycthemeron fere, & in acutiſſima confeſtim poſt euacuatum ventriculum, ſudoriferis locus detur; nunquam vero in peſte lenta,

*) Fuerunt haud pauci, qui methodum hanc, ſchediaſmate a me promulgatam, tanquam ſyſtematis modernis minus conformem, & venerabilem antiquitatem (vti contumelioſe loqui amabant) redolentem, aſpernabantur. At vnus horum, nunc jam e viuis ſublatus, in Noſocomio peſtilentiali ipſe infectus, nihilominus ad ſudorifera, tanquam ſacram anchoram illico confugit, & ſe eorum ope a periculo mortis ereptum fuiſſe, poſtea palam confeſſus eſt.

lenta, quamuis jam in ipſo horrore vel breui poſt exhibita fuerint, effectum ſalutarem produxerunt, nec mador corporis prouocatus, vllam vtilitatem praeſtitit.

Quantumuis vero materia perſpirabilis obſtructa adhuc per ſe mobilis ſit, non tamen per emunctoria in cute jam jam infirmata patentia, ſponte ſua euacuetur, niſi impulſus ſanguinis moderatus, oſcillationem arteriolarum, in cellulis cutis & tunicae adipoſae conterminae ſinientium, jam languentem aut penitus deficientem, hincque liberam in iis circulationem, & contextus celluloſi tonum labefactatum, reſtauret. Hic vero impulſus regularis & modum haud excedens, abſque ventriculi actione redintegrata, vix produci, imo, omnis ſucceſſus, a conſtitutione eius emendata, pendere videtur. Nunquam enim ſudor ſalutaris, quamuis fortiſſimis mediis coactus, in, ventriculi debilitate, laborantibus (niſi eam inſimul corrigere contingat), ſed e contra colliquatiuus, a relaxatione totius compagis celluloſae ortum ſuum trahens, prorumpit. Hinc itaque intelligi poteſt, cur ſudores per calorem externum & nominatim balnea prouocati, quamuis profuſiſſimi, tantum abeſt, vt profuerint, quin perniciem citam ſemper attulerint (exper. IV.). Similiter ſe res habet cum remediis ineptis, vtpote calidis, valde ſtimulantibus, fermentationi ſubiectis vel opiatis. Sic nimius vſus ſpirituoſorum & allium inconſultius deuoratum, peſtem acutiſſimam prouocarunt (exper. XVII. XXXII.). A remediis variis calidioribus e. g. eſſentia alexipharmaca St. ſcordii, elixirio proprietatis & ſic porro ſucceſſus ſperati, rarius obſeruati fuerunt; imo ipſa theriaca veneta ſaepiſſime fefellit. Potiones variae calidae ex vegetabilibus diaphoreticis, raro per ſe, quamuis copioſe ingeſtae, ſudores ſufficientes produxerunt; ſudoriferis vero efficacioribus, modice & ſenſim ſuperbibitae, effectum horum perbelle adiuuarunt.

Optima ergo in periodo infectionis media cenſenda erunt, quae orgaſmum ſanguinis modicum excitare, & hoc ipſo, deobſtructionem

vaſorum

vaſorum minimorum, tam ventriculi, quam contextus celluloſi omnis in effectum dare; acrimoniam acidam corrigere; tunicas ventriculi ſtimulo conuenienti leuiter irritare, tonumque eius labefactatum reſtituere valent. Certe aliter vix explicari poſſe crediderim, cur, motus corporis ſolus, contagium per ſudores expellere potis ſit (exper. XVII.); cur ſudores in initio peſtis acutae facillime procedant (exper. XXI.); cur abſorbentia imo alcalina ſumma, effectus laudabiles produxerint, (exper. XVII. experim. III. conſect. I.); cur ſal culinare leuiora infectionis indicia tollat (hiſt. morb. V.); cur ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis H. potus ſpirituoſi modice ſumti; acetum & baccae oxycoccos in periodo infectionis, virtutem tam praeclaram oſtenderint (exper. XVII.) & denique quare roborantia imo adſtringentia non tantum in principio, ſed toto decurſu peſtis, tam euidenti vtilitate ſeſe commendauerint (exper. XIX. XXI.).

Neſcio, an vllum aliud medicamentum, dotibus hiſce requiſitis tantopere polleat, & experientia vberrima ſeſe aeque probauerit, ac vulgatum illud quondam, nunc fere obſoletum, *mixtura ſimplex* ſiue *ſpiritus diatrion* *), dictum. Tria illud, vti notiſſimum, componunt ingredientia, ex quibus ſpiritus theriacalis & tartari, fibras ventriculi blande ſtimulare; glutinoſa incidere; cordis & ſanguinis motum langueſcentem leniter incitare, humoreſque verſus peripheriam corporis propellere valent; ſpiritus vero vitrioli vi ſua adſtringente, tonum ventriculi emendando & reſtituendo, virtutem ei principalem conciliare videtur. Vti nunquam fere non, diaphoreſin & ſudores exſpectatos producit; ita quoque, ſi ſubinde largiori vel repetita doſi propinatum fuerit, haud

Cc 2 noxium

*) In Pharmacopoliis noſtris, quatuor eius compoſitiones proſtare ſolent, nimium: mixtura ſimplex *rectificata* vel non *rectificata*; vtraque iterum, cum vel ſine camphora. Rectificatam vti magis efficacem communiter adhibere ſoleo, & quidem ſine camphora, quia virtuti huius vtut decantatae parum tribuo, & ob odorem guſtumque ingratum pleriſque aegrotis haud arrideat.

noxium ſe praebuit, adeo vt nulla ex eius vſu incommoda a me animaduerſa ſint.

Quia materies perſpirabilis in periodo infectionis, in variis ſubiectis, inaequali omnino gradatione obſtructa, & elater fibrarum tam ventriculi quam contextus celluloſi, in initio adhuc parum fractus ſit: haud obſcure intelligi poteſt, cur, etiam varia alia remedia tam ſimplicia, quam compoſita, ſubinde in leuiori ſtatu, non omni ſucceſſu caruerint, quatenus nempe indicationibus ſupradictis, ſaltem partialiter ſatisfacere valuerint. Natura namque ſibi quodammodo adhuc conſtans, vel tantillum adiuta, re operationem ſanitatis omni niſu molitur. Leviſſimam omnino infectionem, & vires vitae non multum labefactatas praeſupponit, quod media imbecilliora, e g. motus corporis ſolus, ſpiritus Mindereri, ſpiritus nitri dulcis, liquor anodynus mineralis H. vel manifeſte dubia e. g. theriaca veneta, phoſphorus, balſamus de Mecha, puluis Jameſii &c interdum effectus ſalutares produxerint. Vti vero in ſtatu prouectiori illa jam non ſufficiunt, ita quoque haec, toties non ſolum perperam, ſed euidentiſſima cum noxa tentata fuerunt. Conſultius itaque ſemper duxi, poſthabitis hiſce, aut tanquam minus efficacibus (ſcopo tamen adiutorio in ſubſidium tractis); aut euidenter dubiis, ſolam mixturam ſimplicem, vtpote medicamentum innocentiſſimum, omnibus indicationibus ſatisfaciens, & effectum ſuum, cum exoptata euphoria indubie producens, in ſtatu prouectiore, in vſum vocare.

XI.

Symptomata, peſtem lentam (exper. XVIII.) concomitantia: materiae perſpirabilis virulentia miaſmatis imbutae, verſus contextum celluloſum internum deriuationem; infarctum & tandem colliquationem humorum, manifeſte arguunt.

Periodi

Periodi infectionis, in quamcunque peſtis ſpeciem tranſeuntis, terminum, febrem per ſua ſigna ſeſe manifeſtantem, poſui (exper. XV.); illamque haud inſequi, vel ſaltem retardare, ſi *contextus celluloſi interni* & praeſertim ventriculi elater, aut illibatus perſtet, aut diminutus quamuis, miaſmatis tamen, ex viſceribus nobilioribus, verſus *externum* propulſioni, adhuc ſufficiat, exper. XVII. & conſect. VI. oſtendi. Hoc fundamento ſtabilito, haud incongrue ſequi videtur, febris & conſequenter peſtis ipſiſſimae cauſſam proximam, in tono, contextus celluloſi interni, plus minuſue labefactato, & hinc ex lege naturae effecta, materiae perſpirabilis, miaſmate peſtilentiali imbutae, verſus viſcera nobiliora, deriuatione, vnice quaerendam eſſe. Nam quamprimum ei exitus, aut per conſuetas aut ſuccedaneas vias penitus denegatus fuerit, & accumulatio in integumentis communibus nondum multum relaxatis *), haud interrupte procedat, neceſſe eſt, vt hiſce tandem renitentibus, aut ſenſim vti in hac lenta, aut derepente, vti in acuta & praeſertim acutiſſima, per cellulas vndique inter ſe communicantes, vlterius protrudatur; & quidem verſus illa loca, vbi reſiſtentiam minimam oſtendit. Haec vero diſpoſitio, nullibi tam apta, & tam late patens, ac in toto ambitu duplicaturae peritonaei, praeſertim meſenterio, tractu

 vaſo-

*) Quando acrimoniae diuerſae, in relaxatis integumentis communibus ita colliguntur, vt eorum verſus interiora protruſio amplius non efficiatur, tunc febris prorſus non excitatur, aut jam ardens breui exſtinguitur. Leucophlegmatici, vtcunque infectioni expoſiti, ab ipſius tamen peſtis cum febri inſultu, immunes reſtant. In podagra, rheumatiſmis variis, praeſertim odontalgia, res notiſſima eſt, dolores minui, & febrem ceſſare, quamprimum tumor oedematoſus, in regione loci affecti apparuerit. Curaui Anno MDCCLXX in caſtris non procul a Danubio poſitis, famulum Praefecti cuiuſdam militum, a ſcorpione, in digito morſum. Febris extemplo validiſſima, cum tenſione ſumme dolorifica totius manus, oboriebatur. Repetita vero ſaepius embrocatione tepida cum oleo oliuarum & ſudorificis quoque propinatis, manus tota quanta oedematoſe intumuit, doloreſque vna cum febri breui diſparuerunt.

vaſorum maiorum, ſedibus gangliorum, tuniciſque inteſtinorum & praecipue, ventriculi, locum habere poteſt. Laxitas namque telae celluloſae (vti in adminiſtrationibus anatomicis per inflationem abunde conſpicitur), in cauitate abdominis ſumma, eiuſque a pinguedine ſi omentum excipias, fere vacuitas, & compreſſio partium vicinarum aequalis, lenis, facileque in omnes dimenſiones cedens, receptioni huic apprime fauet. Quod denique laxitas haec naturalis ex aduentu materiae huius peregrinae, acrimonia ſua neruos vellicantis, obtundentis & affluxum humorum producentis, confeſtim adaugeri, imo in atoniam tandem degenerare debeat, res ipſa loquitur.

A materiae itaque peccantis, hucuſque in integumentis communibus accumulatae, nunc vero verſus contextum celluloſum internum, impulſioni eius ſenſim obſecundantem, deriuatione, repetendi erunt, horrores & tremores illi interdum violentiſſimi & in longum protracti. Habitus cutis externae, ex vnguine cutis in periodo infectionis viſcidus, tumidiuſculus, & quodammodo rubens, nunc derepente ſiccus, ſtrictus, pallidus & quaſi extenuatus fit; certo indicio, humores hic hoſpitantes, alibi tranſmigraſſe. Natura laceſſita, perturbationes oeconomiae animalis, ex deriuatione hac ineuitabili ſuminas, auertere ſtudens, omnes quidem vires intendit, quo frequentiore & validiore cordis motu, humores aduentitii, & mole & acrimonia tantopere nocentes, ex viſceribus nobilioribus, quantocyus, verſus antiquam ſedem propulſentur; ſed lentor eorum, & praeſertim elater contextus celluloſi interni jam fractus, obices inſuperabiles ponit, quominus circulatio libera, & aequilibrium vaſorum tam in-quam externorum in totum reſtitui poſſit. Hinc calor externus, frigus febrile excipiens, in hac peſte lenta nunquam magnus, ſed vel naturalis ſaltem, vel ei multo inferior, pulſuſque exilis, irregularis & quandoque intermittens obſeruatur. Turbas vero has, non a ſanguine acri vel inflammata excitari, praeter reliqua ſigna, abſentia ſitis, & vrinae crudae indigitant (cfr. conſect. III.). Ex oppilatione porro

porro celluloſae internae a materia aduentitia producta, naturali ſequela omnes ſe- et excretiones humorum laudabilium, in locis affectis praepediente, explicari poteſt, cur; appetitus omnis ciborum, ſtatim ab ingreſſu febris tollatur, & nauſea ſuccedat; guſtus vero deprauatus, conſpurcatio linguae & viſcoſitas oris, in periodo infectionis jam incipientes nunc incrementa ſubita capiant.

Infarctum vero, ſeu obſtructionem jam jam fixam & profundiorem, materiae peccantis *), in toto contextu celluloſo, vi miaſmatis ſubiecto, nunc ſtagnantis & incraſſatae, factum, omnia euincunt ſymptomata, quae primis morbi diebus infeſtant: Calor febrilis, ex initio jam modicus, ſenſim vero decreſcens; vires vitae in quampluriinis ſubito labantes; abiectio animi; inſenſibilitas corporis; aluus conſtipata; intumeſcentia abdominis; ſubſtantiae bubonum & carbunculorum indureſcentes, nec circumcirca inflammatae; pinguedo in celluloſa luteſcens; delirium &c. certe, circulationem in toto contextu celluloſo plus minuſue inhibitam; neruos cutis a tenacitate materiae obſtruentis compreſſos & ſenſatione fere priuatos; ſe- et excretiones turbatas, relaxationem telae celluloſae inſignem, profundamque corruptionem pinguedinis in ea contentae, commonſtrant.

Quod humores infarcti, vtcunque tenaces, incidantur, reſoluantur, & euacuationi apti reddantur, quando a quacunque cauſſa, motus

*) Materia peccans peſtilentialis, in principio periodi infectionis, peſtis acutae & in acutiſſima acris & mobilis, non niſi pingue exhalans cum miaſmate intimius coniunctum, retentum & ſucceſſiue incraſſatum eſſe videtur. In ſtatu vero prouectiori periodi infectionis, peſtis acutae & in peſte lenta, reliquam quoque pinguedinem, quousque a miaſmate polluitur, in conſenſum trahi, poſt ſeceſſum particularum oleoſarum a ſe inuicem in magma mucoſum reſolui, per contextum celluloſum jam aegrius moueri, acrimonia vix ſenſibili gaudere, & tandem in ſerum fatiſcere, per omnia ſymptomata haud obſcure patet.

tus inteſtinus, in maſſa eorum excitatur *), in conuicto eſt. Jam vero ex conſectariis III. & IV. patet, miaſma peſtilens oleoſos tantum humores appetere, quibus proprium eſt, ſub certis conditionibus, compage eorum intimiore deſtructa, motum inteſtinum quaſi fermentantem ſubire; haud obſcure itaque intelligi poteſt, cur, colliquatio materiae peccantis, in contextu celluloſo ſtagnantis, jam primis morbi diebus incipiat, & niſi cauſſa efficiens remoueatur, vſque ad mortem inualeſcendo procedat. Primum eius indicium, vomitus ſaburrae aeruginoſo-bilioſae, ſecundo, tertio imo quarto adhuc morbi diebus, inordinatim reuertens, exſtat. Quamprimum vero, diarrhoea **), ſymptoma hoc, ſi quod aliud, mali ominis, obſtructioni alui, hucuſque pertinaci ſuccedat, prima illa euacuatio penitus ceſſat. Videtur, materia peccans, in meſenterio infarcta, colliquationi praeprimis obnoxia eſſe, & reliquis

*) In Noſocomio generali Moſcuenſi militem vidi, qui jam per plures annos, ſteatoma maximum, quod vnquam viderim, in dorſo geſtauit, & quamuis caeterum ſanus, ad ſeruitium tamen hoc ipſo ineptus reddebatur. Quia operatio vix locum habuit, ſuaſi, vt extractum ſaturni cum mica panis albi in forma cataplaſmatis tentaretur. Obſtupui fere, quando poſt breue temporis interuallum mihi referretur, tumorem hunc enormem, ſimplici hoc remedio penitus diſſipatum, & materiam albam ſteatomatis, ſenſim per aluum, optimo cum euentu euacuatam fuiſſe.

**) In ſectionibus numeroſis, quas ad eruendas cauſſas proximas, diarrhoeae caſtrenſis habitualis, ſumme deſtructiuae, & huic in peſte lenta, valde conformis, durante bello Pruſſico, in variis Noſocomiis militaribus inſtitui, praeter complura alia phaenomena variantia, ſequentia conſtantiſſima apparuerunt. I) Omentum, telae aranearum inſtar tenuiſſimum, verſus ventriculum contractum, & omni pinguedine orbatum. II) Ventriculi, inteſtinorum & meſenterii laxitas & diſtenſio ſumma, ita vt saepiſſime, valuulae inteſtinales, praecipue coli, penitus obliteratae cernerentur. III) Omnes ramificationes venae portarum, immenſum ampliatae, cruore etiam in quam maxime emaciatis repletae, dum reliqua vaſa ſanguifera fere inania eſſent.

reliquis e tergo prementibus humoribus *), ex tota celluloſa ſucceſſive euacuandis, viam parare. Certe, extenuatio vniuerſalis corporis, quantumuis repleti & toroſi breui inſequens, hoc probat. Sanguis pallidus & fere aquoſus, ex inciſis vaſculis ſanguiferis, in ſectione bubonum ſubinde, per integrum nycthemerum lente ſtillans **), attenuationem eius ſummam, & quamprimis particularum oleoſarum ex eius craſi abſentiam, nequaquam vero putridam reſolutionem, euincit; & ex hac penuria pinguedinis circulantis, rationem vnice deriuandam eſſe puto, cur diarrhoea peſtilens tam tumultuarie procedat, & multo citius, quam aliàs ſolet eneruet & jugulet.

XII.

Ergo, remedia, quae deriuationem materiae peccantis, ex contextu celluloſo externo verſus internum, cöercere; tenacitatem eius jam infarctae incidere, tonumque partium affectarum, emendare & reſtituere valent, in peſte lenta, indicata ſunt.

Peſtis lenta, quamuis ſymptomatis minus vrgentibus ſtipata ſit, & prae acuta & acutiſſima, primo intuitu facilior appareat, reapſe vero peri-

*) Humores in catharſi vehementiori excretos, ex pinguedine reſoluta, magnam quoad partem conſtare, vel exinde concludere licet, quod poſt paucas horas, e. g. in Cholera, facies ipſa, vna cum reliquo corpore ita collabatur, vt vix amplius dignoſci poſſit patiens; quod non niſi a ſubitanea euacuatione adipis, cuti & muſculis aliàs habitum naturalem conciliantis, fieri poſſe crediderim.

**) Conſimilem ſanguinem in ſerum fatiſcentem, cachectici, hydropici, & acrimonia acida inſigniori laborantes, in venis ſuis gerunt, & ſtillicidium ex vulnuſculis inflictis, quamuis minimis, ſemper aegrius, quam in aliis, ſanguine, quoad craſin illibato & manifeſto pingui, gaudentibus, compeſcitur.

periculoſiſſima eſt. Nec ratio e longinquo petenda erit. Nam materies peccans, in periodo infectionis (quae in reliquis peſtis ſpeciebus multo breuior, aut nulla praecedere ſolet), longius protracta, tenacitatem multo maiorem induit, profundius radicatur, & quod caput rei eſt, tonum contextus celluloſi & ventriculi ſenſim frangendo, conamina naturae poſtmodum irrita reddit. Sudorifera, quae in periodo infectionis & primordiis caeterarum peſtis ſpecierum, tam luculentis documentis ſeſe commendant, hic incertae jam vtilitatis ſunt; quin ſi ſerius & incautius repetantur, magis nocere quam juuare viſa ſunt.

Excitantibus ſane & roborantibus ſed appropriatis & efficacioribus opus erit, quae ad tantum hoſtem propulſandum, omnes vires vitae euocent, vt materia peccans, ſub horroribus praeſertim, verſus interiora violentiſſime protruſa, quantocyus iterum verſus contextum celluloſum externum amandetur; ſaltem decubitus & infarctus eius grauior, relaxationem elateris celluloſae internae, neceſſario poſt ſe trahens, quoad fieri poterit, impediatur. Spiritus nitri dulcis & liquor anodynus mineralis H. in hoc ſtatu propinati, ſi non luem ſuſtulerint, morbum tamen protraxerunt, & ſymptomata mitiora reddiderunt. Spiritus vero vitrioli, imo ſolutio vitrioli de cypro, quamuis alia omnino praeſuppoſitione a me vſurpata, effectus ſuos laudabiles vix aliter, quam telam celluloſam corroborando, & infarctui grauiori obuiam eundo, ediderunt (cfr. exper. XIX.). Quod vomitoria, quae in reliquis peſtis ſpeciebus, vbi robur ventriculi nondum penitus fractum eſt, tam proficua eſſe ſolent, in hac lenta (vti quoque in febribus malignis proxime affinibus) ſemper euidentiſſime nocuerint: rationem, in deriuatione materiae peccantis, a ſimplici hac irritatione, verſus contextum celluloſum internum adaucta, hincque producta relaxatione eius, & infarctu grauiore, poſitam eſſe crediderim.

Ad infarctum tollendum, nulla vnquam medela promptior & efficacior, quam bubonum & carbunculorum ſuppuratio, quam natura

quouis

quouis modo intendit, afferri poteſt; nam quamprimum illa comparuerit, febris cum reliqua caterua malorum actutum ceſſat. Hinc, omnes indicationes medentis, in hunc ſcopum collimare debent, vt natura nunc imbecillior & fere deuicta, quantum fieri poteſt, ſuffulciatur, & impedimenta operationis huius ſalutaris, pro viribus remoueantur. Quia de argumento hoc ſumme momentoſo, in conſectario peculiari infra fuſius dicetur, ſufficiat nunc, quoad reliqua huc pertinentia media, hoc ſaltem indigitare, quod ſalia media & roborantia, non ſolum ex theoria hucuſque tradita indicata, ſed etiam ab experientia indubia, ſat ſuperque probata ſint. Priora namque, celluloſam, & praeprimis tunicas ventriculi leuiter irritando, materiam obſtructam incidendo, attenuando, diluendo & mobilitatem conciliando; poſteriora vero, fibras eius corroborando, & elaterem deperditum reſtituendo, operantur, multiſque aliis remediis perperam tentatis, palmam praeripuerunt, ita vt non paucis, in ſtatu hoc, nunquam non per ſe ominoſo, ſalutaria euaſerint.

Quia colliquatio humorum, laxitatem vaſorum & telae celluloſae, aut pro cauſſa proxima agnoſcat, aut ſaltem cum illa coniuncta ſit: haud incongrue ſequitur, non tantum roborantia, ſed etiam adſtringentia & pro re nata ſtiptica (cautelis tamen neceſſariis haud neglectis), requiri, ſi in ſtatu hoc deſperato, auxilio adhuc locus detur. Humoribus nempe, a tenacitate hucuſque ſumma, in reſolutionem tranſeuntibus, & qua data porta, per emunctoria maxime patentia, cum certo vitae diſpendio profluentibus, obſtacula ſufficientia ponenda, & induciis aliqualibus impetratis, reliquis ſymptomatis occurrendum eſſe, per ſe liquet.

XIII.

Peſtis acuta (exper. XX.) a lenta, eadem fere ratione ac febris ardens a petechiali, differt. Symptomata grauiora & citior

tior decurſus, vim miaſmatis efficaciorem, & materiae peccantis, multo mobilioris, in contextu celluloſo, praeſertim interno, accumulationes copioſiores innuunt.

Diſcrepantia peſtis acutae a lenta, in ſequentibus potiſſimum conſiſtit. Periodus infectionis ante lentam ſat protracta, interdum longiſſima; in acuta paucarum ſolum horarum interual'o febris ingreſſum anteuertit, aut ſubinde ita deficit, vt quoad reliqua ſaniſſimi derepente ea corripiantur. In illa horrores validi, diuturni, calor inſequens mediocris ſaltem, pulſus exilis, facies vix rubens, ſitis fere nulla, vrinae crudae, debilitas maior, delirium tardius & mitius, vomitus ſeriores, difficiliores & parciores, maculae ſaepe ab initio, bubones & carbunculi aegre eleuantur & in ſuppurationem abeunt, tandemque diarrhoea agmen claudit. In hac e contra, non niſi horripilationes leuiores, febrem multo validiorem praecedunt, quae per omnia fere ſigna, vtpote: ruborem faciei & oculorum inſigniorem, pulſum fortiorem & pleniorem, ſitim maiorem, vrinas ſaturatiores, vires vitae magis conſtantes, ſtaſin inflammatoriam in bubonibus & carbunculis euidentiorem, vomitum citiorem faciliorem & copioſiorem, haemorrhagias, delirium vehementius &c. maximam, cum febre ardente ſimilitudinem oſtendit; dum lenta a febre petechiali difficilius diſcernitur; tum quoque decurſu longiori, & diarrhoea in hac ſolum occurrente, ab acuta eſſentialiter differt.

Haud difficile erit, diſcrimen hoc euidentiſſimum, quod peſtem lentam & acutam intercedit, & quod illa in initio peſtis fere ſola, haec vero in vigore frequentius, & quidem carbunculis humidis vtplurimum ſtipata, occurrat, a diuerſa gradatione miaſmatis ſuſcepti, repetere. Debiliſſimum namque, tono primarum viarum, & totius contextus celluloſi, adhuc quodammodo ſufficiente, non niſi ſenſim in celluloſa externa irretitur, particulis oleoſis (quas, forte non tam repente corrum-

corrumpere valet), commixtum, obtunditur, & effectus ſuos quamuis perniciosiſſimos futuros, non niſi pedetentim exſerit. Fortius vero, per inſpirationem praeprimis, vel per alias vias, in tunicam adipoſam mediaſtini intractum & illaqueatum, motum inteſtinum fermentantem, ſine mora ibi efficere videtur. Nam prima ſymptomata, vti: dolor capitis acutus, rubor faciei & oculorum, viſcoſitas humorum oris, & intumeſcentia linguae, breui ante febris ingreſſum inſtantia, congeſtionem humorum vitiatorum in celluloſa mediaſtini, haud mediocrem ſubito factam, clare demonſtrant (cfr. conſ. V.). Natura quidem laceſſita, materiam hanc ſumme nociuam, per febrem excitatam, verſus peripheriam corporis confeſtim expellere ſatagit, buboneſque & carbunculos producit; aut materiam peccantem per alias vias cum euphoria ſubinde excernit (exper. XX.); tantum vero abeſt, vt conatus hi ſaluberrimi, ſemper ad finem exoptatum perducantur; quin, ſi ſuppetiae non ferantur, deriuatio illuuiei huius peſtiferi verſus ventriculum, breui inſequatur, & ipſa pinguedo omenti, in conſenſum hunc lugubrem trahatur. Hinc, altero plerumque jam die, nauſeae, vomitum breuiſſimo interuallo praecedunt; ſaburra vero illa copioſiſſima, viſcoſa, aeruginoſa & quaſi fermentans, quae repetitis vtplurimum vicibus eructari ſolet, citiſſimam certe, pinguedinis multae corruptionem indigitant (cfr. conſ. II.). Quod materia haec peccans, vtcunque in contextu celluloſo interno accumulata, facilius tamen per vomitum euacuetur, nec infarctum tam profundum ac in peſte lenta efficiat; ſed e contra, maximam quoad partem verſus exteriora protrudatur: ſine dubio, & mobilitas eius maior, tenacitate nempe, vix dum tam inſigni facta, praeprimis vero tonus celluloſae internae, a recentiori vi, nondum tam ſubito debilitandus, & poſt euacuationes iterum quodammodo reſtitutus, facit; dum e contra, in peſte lenta, atonia ſenſim inducta, intentioni huic ſalutari, obſtacula multo maiora opponat. Hinc fit, vt non tantum in initio, ſed ſubinde quoque poſt vomitum copioſum, ſudorifera,

 adhuc

adhuc criſin perfectam, operentur; horrores febriles leuiores; calor externus maior; pulſus plenior, mollior, regularior obſeruetur; vires vitae non tam ſubito decreſcant; bubones ſatis eleuentur, imo coaceruatio humorum obſtruentium ſuperabundans, haud raro periculoſa euadat; carbunculorum limites inflammentur, & delirium multo citius, fortius, imo (quamuis rariſſime), furioſum proueniat. A mobilitate quoque hac explicari poterit, cur, grauidae infectae, faciliime & fere ſine doloribus, pariant, a fortiori vero febris impulſu, haemorrhagiis lethalibus mox ſequentibus afficiantur (obſ. IV.); cur exſcreationes pituitoſae, ſanguinolentae, in hac tantum peſtis ſpecie occurrant, & maculae ſubinde in agone demum mortis effloreſcant (exper. XX.). Inſolitus ille habitus cadauerum tumidiuſculus, pallidus, & flexilitas membrorum, accumulationis materiae peccantis, in contextu celluloſo externo, praelenta largioris, & omnis pinguedinis a miaſmate alterationem, indicia luculentiſſima praebent; nam omnis adeps illibatus, extra calorem naturalem poſitus, ſpiſſeſcit, aut in ſebum cogitur; rancidus vero diſſoluitur & molleſcit (cfr. conſ. II.).

XIV.

In principio peſtis acutae, tonus contextus celluloſi fere integer, & materiae peccantis mobilitas, euacuationem eius perfectam, per vias ſudoris potiſſimum, tum quoque ſubinde per reſolutionem bubonum, & effluxum materiae puri analogae ex pene, poſſibilem reddunt. Aſt, quando in ſtatu prouectiore, altiores jam radices in tunica adipoſa figerit; tunc vomitoriis, incidentibus & roborantibus, vna cum remediis externis ſelectioribus opus erit, quo ſuppuratio bubonum & carbunculorum quantocyus obtineatur.

Quod

Quod peſtis acuta, in ipſis eius incunabulis, per ſudorifera perfecte tolli poſſit, tanquam veritatem exploratam in exper. XXI. tradidi. Rationem felicitatis huius tantopere exoptatae, toties rimatus, nullam aliam inuenire potui, quam quod materia peccans adhuc mobilis, a contextu celluloſo, elatere ſuo nondum plene priuato, quaquauerſum jactata, in celluloſa externa praeprimis colligi amet, & tunc demum in interiore accumuletur, quando tonus ventriculi jam deficiat; reſtaurato vero eo, tenacitate inciſa, & motu humorum incitatiore & liberiore effecto, in ſedem hanc appropriatam retrudi, imo per poros cutis in totum expelli. Hiſce ſane dotibus, neceſſe eſt, vt media ſudorifera inſtructa ſint, ſi ſcopus ſalutaris attingendus erit; omnia vero reliqua, quantumuis collaudata, vel acrimonia ſtimulante & ventriculum jugiter irritante donata, vti calidiora fere omnia; vel fermentationi ſubiecta; vel opiata; vel relaxantia alia, aut manifeſte nocent, aut duntaxat in pauciſſimis natura robuſtiore gaudentibus, ſubinde ex ſententia cadunt. Quamuis criſis ſalutaris per ſudores potiſſimum fiat; interea, moderata bubonum eleuatio, & inflammatio in peripheria carbunculorum, modum haud excedens, ſaltem pro criſi imperfecta haberi poteſt, nec praeter prolationem multum mali portendit, dummodo peccata grauiora vitentur, & naturae quodammodo ſuccurratur; hinc, nonnulli ſine vlla medela allata vltro conualeſcunt. Naturam quoque ſubinde criſin perfectam, per reſolutionem bubonum, & effluxum materiae puri analogae ex pene, in junioribus & robuſtioribus emoliri, ſub exper. XXI. fuſius dictum fuit; & tunc euacuatio haec ſingularis, ſudorum vices ſupplet.

Quamprimum rubor faciei & oculorum ſeſe ſubducens, aut illuvies multa vomitu reiecta, circulationis in integumentis communibus impeditae; toni contextus celluloſi infirmati, & deriuationis materiae peccantis, verſus ventriculum debilitatum, vberioris, indicia luculenta offerunt: tunc non ſolum inutile, ſed jam noxium foret, ſudoriferis

praeſer-

praeſertim fortioribus amplius inſiſtere; quia natura incaſſum laceſſita, noxas grauiſſimas & fere irreparabiles exinde patere tur. Aliae omnino indicationes nunc formandae & explendae erunt. Nauſeae & vomituritiones fruſtraneae, cum magna ſtomachi oppreſſione & anxietatibus praecordiorum, vomitorium quidem expoſcunt, ſed leniſſimum, ne ventriculus ex irritatione vehementiore detrimentum capiat, & affluxus humorum maior, alliciatur. Hanc ob cauſſam vitriolum album vomitorium, ob vim ſalinam & ſimul adſtringentem, prae reliquis emeticis mihi arriſit, & optato cum ſucceſſu vſurpatum fuit. Si vero reiectiones ſufficientes ſponte, & vti plerumque contigit, ſat libere procederent, a vomitoriis prorſus abſtinui; ex propria & aliorum experientia edoctus, nihil boni, ſed e contra mali plurimum ex inconſiderata, vel repetita eorum exhibitione, produci. Vt infarctus totius contextus celluloſi, etiam poſt ſat euacuatum ventriculum, per ſua ſigna, vtpote: impuritates & intumeſcentiam linguae, ſaliuam viſcidam, nauſeas, abſentiam ſitis, dolores capitis grauatiuos, deliria &c. euidenter ſeſe prodens, quantum fieri poteſt, tollatur, eadem remedia, ac in curatione peſtis lentae (exper. XIX.), ſalia nempe media & roborantia optima, praeſertim ſpiritus vitrioli, ex iiſdem indicationibus propinare ſolebam, & vtilitatem tam manifeſtam praeſtarunt, vt ex peſte acuta decumbentibus, vix multi deſiderarentur. Veroſimiliter, liquor nitri fixus, quo Chirurgus quidam primarius, tantopere, nec fruſtra vtebatur (experim. III.) non niſi virtute ſua antacida, incidente & reſoluente, tam fauſte operari potuit.

Quouſque tonus ventriculi & reliqui contextus celluloſi interni, adhuc aliqualiter ſubſiſtens, materiam peccantem, verſus telam celluloſam externam ſaltem partialiter propulſare valet, res peſtiferorum, nondum in deſperato loco poſitae ſunt; nam viſceribus nobilioribus, ab oppreſſione lethifera quodammodo ſubleuatis, actiones corporis ſumme neceſſariae, ſaltem quomodocunque peraguntur, & interea exoptata bubonum

bonum & carbunculorum ſuppuratio procedit, qua facta, omnia actutum in melius mutantur. Si vero euenit, quod congeſtiones *) materiae peccantis juſto copioſiores, metaſtaſes haſce ſummo cum diſcrimine exaggerent, tunc illae diſſipari, & laxitas celluloſae localis, repercutientibus & adſtringentibus externis, emendari debet. Patet ergo, cur, acetum, extractum ſaturni, creta, & coagulum lactis coctum, in intumeſcentia extrauagante bubonum, & inflammatione carbunculorum, cum impetu latius ſerpente, compeſcendis, tam proficua fuerint.

XV.

Symptomata peſtis acutiſſimae (exper. XXII.) anomala & praeter modum vehementia, contextum celluloſum internum, elatere ſuo, a miaſmate derepente priuatum, relaxatum, & deriuationem humorum tumultuariam, verſus viſcera nobiliora factam, indigitant.

Vtut, peſtis acutiſſima ab acuta diuerſa omnino, primo intuitu appareat, reapſe tamen, eaſdem cauſſas proximas, ſed multo violentiores, & ſummo cum impetu ingruentes, agnoſcit; ita vt non niſi ſummus eius gradus reputari poſſit. Elater namque celluloſae internae, in acuta ſucceſſiue labefactatur, & vſque ad finem, ſaltem quodammodo, perſtat; in acutiſſima vero, quam ocyſſime deperditur, & in atoniam perfectam tranſit. In illa, maxima forte miaſmatis vis, verſus celluloſam externam propulſatur, & viſceribus nobilioribus aliquales ſaltem induciae conceduntur; in hac e contra, natura, impulſum hunc ſalutarem, organis huic ſcopo inſeruientibus inefficacibus redditis, vtcunque ſummis

*) Congeſtiones tales enormes, ad parotides & glandulas ſubmaxillares praeprimis fiunt, cuius phaenomeni ratio, ſine dubio, in compreſſione venarum jugularium, a materia peccante, in celluloſitate illas ambiente, infarcta, poſita eſt.

ſummis conatibus moliatur, niſi obſtacula prompte remoueantur, perſi-ceere non valet. Hinc illae lacrymae! hinc luguberrima conditio, peſte hac acutiſſima affectorum! Exaſperatur malum quouis fere momento, ab accumulatione humorum, verſus loca haec ſupra modum infirmata plenis riuulis affluentium, & acrimoniam illico contrahentium; quo fit, vt natura ad incitas redacta & tandem deuicta, poſt breuiſſimum quamvis decurſum, ſuccumbere cogatur. Perinde eſt, ſi miaſma aut recenter per ingeſta in ventriculum allatum, aut per inſpirationem in celluloſam mediaſtini attractum fuerit, aut jam dudum in contextu celluloſo externo latitans, a quacunque cauſſa efficaciori, huc violenter compellatur, dummodo actio ventriculi ſubuertatur. Sic, non ſolum ex manifeſta eius, a miaſmatis inter manducandum ſuſceptione & diſtenſione ventriculi repentina; ſed etiam ex iracundia fortiori, terrore, euacuationibus per V. S. & purgantia, & aliis cauſſis occaſionalibus grauioribus, diriſſima haec peſtis ſpecies prouocatur. Horrores, in quibuſdam ex initio cum calore alternantes, breui vero in rigorem, vſque ad finem morbi continuatum, abeuntes, deriuationem humorum, verſus contextum celluloſum internum, violentam & perſiſtentem; vti reliqua, preſſo pede inſequentia ſymptomata, turgeſcentia nempe faciei, oculorum & colli; dolores capitis vehementiſſimi; delirium furioſum; reſpiratio anheloſa &c. decubitum eorum, haud amplius loco mouendorum, fixum, deſignant. Anxietates autem illae ſummae, diſtenſionem ventriculi atoni, & inſenſibilis fere redditi, ita certe denotant, vt tota lerna malorum, actutum in melius mutetur, quamprimum copioſius ingeſta, & plerumque dum jam reiecta ſunt, fermentantia, per vomitum euacuare, remediiſque refocillantibus, & diapnoicis, materiam peſtilentem, verſus exteriora protrudere, contigerit; quae praeſentiam ſuam, per bubones proſilientes, quamuis nil mali jam ominantes, manifeſtare, neutiquam intermittit (cfr. hiſt. morb. VII. & VIII.). Confirmat hoc porro analogia, tot aliorum morborum, praeſertim contagioſorum,

in

in quibus anxietates ſtatim ad minimum ſubleuantur, quando naturae oppreſſae, quoad expulſionem materiae, ventriculum & praecordia aggrauantis, ſuppetiae feruntur. Linguae ſiccitas & ſitis immodica, non niſi ſequelae anxietatum ſunt, vti inſenſibilitas ventriculi, etiam fortiſſimis remediis aegre auſcultans, & debilitas plerumque ſumma, nunc jam ab initio, nunc ſub finem vitae ſolum inuadens, cum pulſu exili, criteria indubia, atoniae eius jam longe prouectae, & virulentiae miaſmatis maximae, praebent.

XVI.

Quae itaque remedia, ventriculum ab onere opprimente liberare, tonum eius amiſſum reſtaurare, & materiam peccantem verſus contextum celluloſum externum amandare valent, in hac acutiſſima conducent.

Eadem fere, ac in peſte acuta, etiam hic indicationes obtinent; hoc tamen cum diſcrimine ſumme momentoſo, quod, miſeris infectis, certiſſimis hiſce mortis candidatis, quam promptiſſime, remediis appropriatis & efficaciſſimis ſubuenire neceſſe ſit; nam ſtatus eorum periculoſiſſimus moram vix patitur. Praeſertim anxietati, tanquam ſymptomati maxime vrgenti, & acutiſſimae huius indiuiduo comiti, quantocyus fieri poteſt, occurrendum eſt. Hoc vero aliter neutiquam effici poteſt, quam quod cauſſa eam immediate producens, quam in ventriculi praeternaturali relaxatione, & a noxiis contentis diſtenſione, poſitam eſſe, in conſectario praecedente euincere conatus ſum, citiſſime remoueatur. Hinc, ſi vomitus ſufficiens ſponte non ſuccedit (quod rariſſime fit), vomitorium conueniens illico propinandum, & ſi prima doſis poſt breue temporis ſpatium effectum haud produxerit, iteratum imo reiteratum, ſummam curationis partem abſoluit, & quidem eo certius, ſi patiens breui ante inſultum, multa & varia, praeprimis fermentationi

obnoxia ingeſſerit, & vires vitae adhuc ſat conſtantes fuerint. E contra non ſolum inutile, ſed maxime noxium foret, in extrema jam debilitate, naturam fruſtra laceſſere, aut ſi euacuatio jam ſufficiens contigerit, remedium hoc violens ſine neceſſitate repetere; nam in vtroque caſu, tonus ventriculi certiſſime magis adhuc infirmaretur, & affluxus humorum eorumque decubitus adaugeretur. Maxima itaque ratio ventriculi habenda, ad cuius robur, quantum poſſibile redintegrandum, principalem ſuam curam intendere debet medens, & hoc demum fine (ex pulſus eleuatione, viribus vitae adauctis & reliquis ſignis facile dignoſcendo) qualitercunque obtento, emeticum ſaltem lenius, quando vomitus nondum praeceſſerit, porrigi poteſt. Quia vero tonus tam ventriculi, quam contextus celluloſi interni, hic vehementer admodum fractus, vix ac ne vix quidem tam cito increſcit, vt natura materiam peſtilentem peccantem, ſine adiumento, ſola expellere valeat, quin noua eius accumulatio, & infarctus, etiam poſt optime purgatum ventriculum pertimeſcenda erunt; hanc ob cauſſam, & praeſertim quia materia haec in malo tam recenti adhuc mobilis eſt, ſudorifera, & quidem fortiora, ſed & ipſa vi roborante inſimul praedita, ſine procraſtinatione ingerenda, & ſudor ſalutaris, modo ſub exper. XVII. deſcripto, eliciendus eſt. Et ſi quandoque euenit, quod poſt primam ſudationem, ſymptomata nondum penitus euaneſcerent, horis circiter XII. praeterlapſis, reliquiae jam in celluloſa externa intricatae, iiſdem remediis tuto & perfecte eliminari poſſunt. Imo rudimenta bubonum, ſubinde ſub ipſa prima ſudatione proſilientia & ſat dolorifica, nunc ſimplici fomento aceti, vel emplaſtro quodam reſoluente, proximis diebus inſequentibus feliciter diſſipantur; nec aliis amplius remediis opus eſt, dum tonus tam ventriculi quam contextus celluloſi, plus minuſue laeſus, priſtinam integritatem, nonnunquam ſubito quaſi, plerumque tamen paullatim, recuperet.

XVII.

XVII.

Suppuratio bubonum & carbunculorum, effectum ſuum ſaluberrimum, hoc praecipue modo praeſtare videtur: quod partes emortuas & induratas, a viuis & ſimpliciter obſtructis ſeparando, & materiae peccanti peſtilenti opportunam collectionem, in pus transformationem & euacuationem parando, vim vitalem totius contextus celluloſi, infirmatam, reſtauret.

Quia in peſte lenta, & acuta adultiore, nulla alia criſis ſalutaris locum habet, quam quae per ſuppurationem, in peripheria bubonum & carbunculorum, ita perfecta conſequitur, vt maturatione vix peracta, febris cum tota caterua ſymptomatum, actutum ceſſet, & peſtiferi e vadis emergant: haud abs re erit, conditiones genuinas, ex obſeruatis inter ſe collatis, inueſtigare, quibus datis, exoptatiſſimum hoc naturae negotium aut promoueatur aut impediatur. Omnium optime ſuccedere viſa eſt ſuppuratio, in acme peſtis acutae, quando febris & eius ſymptomata mitiora; calor ſuperficiei corporis ſufficiens (ad minimum naturalis); tumor bubonum modicus parum rubens, & carbunculorum peripheria, circulo non vltra modum inflammato, circumcincta, ſeparationem a natura intentatam praenunciarent. Nec maturatio tunc multum negotii faceſſebat, quin ſaepe ſponte, aut adiumento mediorum externorum, emollientium, modice ſtimulantium, & motum inteſtinum producentium, ex optato conſequebatur. E contra difficillime, & plerumque vix ac ne vix quidem in peſte lenta, proceſſit, quando omnia hiſce contraria obtinebant, bubones mobiles reſtabant, haud multum eleuabantur, & contextus celluloſus eos & carbunculos ambiens, mollis, tumidiuſculus, pallidus, imo liueſcens euaſit. Quod eadem ratione etiam in peſte acuta euenit, ſi congeſtiones verſus loca affecta vehemen-

tiores, intumeſcentias juſto maiores excitarent; quamobrem in hoc caſu, ex fomentis, cataplaſmatis, emplaſtris & vnguentis emollientibus, oleoſis vel mucilaginoſis, praeprimis calide applicatis, perraro effectus exoptatos, ſed ſaepiſſime irritos imo funeſtos manifeſte vidi; repercutientia vero & adſtringentia perbelle profuerunt. Totus rei cardo, in eo inprimis verti videbatur, vt tonus integumentorum communium in locis affectis ſaltem aliqualis, & ad operationem hanc peragendam ſufficiens, ſuperſit, vel ſi jam infirmatus fuerit, medelis conuenientibus quantocyus reſtaurari poſſit. Quia vero periculum hic ſi vllibi a mora ſummum, nec maturatio tantopere expetita, ſemper a natura ſola, vel remediis quamuis ſelectiſſimis, in tanta anguſtia temporis, & indole luis premente exſpectari poterat: ad ſeparationem hanc citius & certius obtinendam, efficaciſſimum demum auxilium, ex profundis, in peripheria carbunculorum (nam in bubonibus ob viciniam magnorum vaſorum inſtitui haud audebantur), ſcarificationibus, & immediata applicatione, acrium, roborantium & balſamicorum, petebatur. Nec fruſtra; nam plerumque, niſi omnis energia naturae quoad tonum reſtituendum ſuffocata fuerit, aut aliae circumſtantiae periculoſae (cfr. exper. XVIII.), obices ineluctabiles poſuerint, jam in altera deligatione, vulnuſculorum inflictorum laete rubeſcentium, in quouis puncto ſenſibilitas *); affluxus humorum, in tabum vniforme purulentum ſatiſcentium, copioſus; tumor

*) Phyſiologi moderni, tunicam adipoſam, qua talem, inſenſibilem adſtruunt; quod in ſtatu ſano verum eſſe poteſt, in morboſo vero, certe non ita. Nam illa cellulosa, quam in vulnere recenti, albicantem & vnctuoſam, ſine vlla doloris ſenſatione, pro lubitu reſcindere poteras, jam poſt pauciſſimas horas, praeſertim ſi aëris acceſſus haud inhibitus fuerit, rubicunda, intumefacta, ſiccior, & in quouis puncto ſumme ſenſibilis fit. Mutationes hae, in vulneribus abdominis cum protruſo omento, maxime notabiles eſſe ſolent. Caro luxurians in vlceribus, ad quamuis vel leviſſimam irritationem tota quanta dolens, tunicae omnino adipoſae productio eſt. In carie, ſenſus oſſium exquiſitus ex iiſdem forte cauſſis, producitur.

mor oedematoſus, ſi qui in peripheria aderat, ſubſidens, & ſymptomatum maxime vrgentium remiſſio, imo ſubitanea interdum ſublatio, ſucceſſum exoptatiſſimum operationis huius leuidenſis *) ſignificabant; ita vt, quando peſtiferus nondum penitus conclamatus, carbunculis aut ſolis, aut vt ſaepe contigit, etiam bubone ſuperaddito, adduceretur, de reſtitutione eius haud dubitarem; ſuppuratione enim in carbunculis impetrata, etiam in bubone immediate poſt inſequebatur.

Quod inflammationes carbunculorum praecurſores, ex ſolo fomento aceti fortioris frigidiuſculo, loco carbonis, in abſceſſum ſimplicem ſubinde mutarentur: hoc itidem robori contextus celluloſi reſtaurato, adſcribi debere, crediderim.

Omnia itaque hucuſque tradita exactius penſitata, nullum dubium relinquere videntur: ſedem materiae peſtilentis appropriatam, in contextu celluloſo, praeſertim externo vnice quaerendam; & quamprimum eius, in locum ſuppuratum deriuatio, collectio & euacuatio opportune accidat, *vim* telae celluloſae *vitalem*, iterum reuiuiſcentem; conualeſcentiae integrae, cauſſam proximam & conditionem ſine qua non, genuinam reputandam, eſſe **).

XVIII.

*) Peſte prouecta decumbentes, ſenſationem valde obtuſam, imo fere nullam habent (obſ. X. & experim. I.); hinc operatio haec ſcarificationis, vtpote vix doloroſa, minime, tanquam crudelis, reformidanda; e contra ob vtilitatem euidentiſſimam, ſumme neceſſaria mihi videtur.

**) Non poſſum, quin obſeruationem ſequentem apprime memorabilem, & mox dicta illuſtrantem, interſeram. Sub finem anni MDCCLXI. adducebatur in Noſocomium militare, quod in oppido Reineritz, Comitatus Glaziae inſtructum erat, miles, poſt diarrhoeam habitualem jam hydropicus factus. Inopinato, huic, inflammatio in parte anteriore ſuperiore cruris, & quidem praeciſe in ea regione, vbi bubones crurales peſtilentes propullulare ſolent, oborta, in ſphacelum abiit. Suppuratione vero in peripheria ſtabilita, & cruſta emortua remota, illuuies inſignis lymphae & puris continuo exſtillauit. Mox tumor abdominis & oedematoſus totius corporis paullatim ſubſidet; vires vitae quouis die augmentum capie-

XVIII.

Quod venaeſectiones & purgantia, in peſte tam euidenter nocuerint (exper. XXVI.) : hoc, deriuationi materiae peſtilentis ex contextu celluloſo externo, verſus internum, ex vtraque cauſſa, efficiendae, adſcribendum erit.

Si verum eſt, quod miaſma peſtilens, in corpora, robuſto ſtomacho, gaudentium, nullam potentiam exerceat; vel ſaltem in contextu

capiebant, & vlcus balſamicis tractatum, pus optimae notae fundens, ad conſolidationem properauit, ita vt poſt quatuor ſeptimanas ſanitatem integram nanciſceretur. Succeſſus hic inſperatus permouit me, periculum facere, anne ſanatio haec inexſpectata a natura procurata, arte chirurgica imitari poſſit. Elegi itaque tres aegrotos, a diarrhoea adhuc continuante periculoſe decumbentes, & partim jam anaſarca laborantes, quibus in eadem regione cruris ſetacea traduxi, quae bis de die, vnguento digeſtiuo, cum ſale ammoniaco & myrrha, acuto, illinita, more ſolito, in quauis deligatione protrahebantur; diaeta & remediis roborantibus inſimul haud neglectis. Euentus voto tam feliciter reſpondit, vt ſuppuratione obtenta, diarrhoea de die in diem minueretur; habitus corporis leucophlegmaticus in ſanum permutaretur, & conualeſcentiae jam proximi eſſent patientes, dum ex mandato miſſo, Noſocomio valedicere debui. Aeſtate ſequente, anni MDCCLXII. Noſocomio militari Regiomontano inſeruiens, eadem experimenta, eodemque cum emolumento repetii, & inſuper a quibuſdam Collegis meis, qui methodum hanc primo intuitu paradoxam, ex perſuaſione tamen mea hinc inde tentarunt, non ſine oblectatione animi, poſtea reſciui, eam optime ſucceſſiſſe. Pax, bello huic deſtructorio finem imponens, filum experimentorum abrupit, nec poſtmodum opportunitas talis mihi ſeſe obtulit. Nonne curationes illae ſingulares, per radicem hellebori vel veratri, in medio femore, facta inciſione, applicatam, a loimographis etiam autoptis tantopere celebratae, quamuis plerumque ab agyrtis in vſum tractae, aſſertionem quam mihi probandam propoſui, confirmant? Quod nempe ſuppuratio in celluloſa externa profundiore & loco conueniente quomodocunque producta, criſis peſtis adultae perfecta, prompta, & vt mihi ſumme probabile videtur vnica, reputari debeat. Nec alia ratio reddi poſſe videtur, cur fonticuli, ſcopo praeſeruatiuo, tam belle proficiant.

textu celluloſo externo, ſaepe per inſigne temporis ſpatium, nidulari, eumque, ſine valde notabili a ſanitate receſſu (quouſque tonus viſcerum nobiliorum, quomodocunque perſtat) ſat luculenter afficere poſſit (cfr. exper. XVI. XVII. & conſect. VI.); porro, quod natura expulſionem contagii intus ſuſcepti, verſus exteriora, ſummo ſemper niſu affectet, & ſymptomata nunc leniora, nunc grauiora, tunc demum ingruant, quando conamina haec ſalutaria ex quacunque cauſſa fruſtrentur, vel obices difficiliores iis ponantur (conſect. XV.): luce meridiana, niſi omnia me fallunt, clarius eluceſcit, ſummam omnium indicationum tam prophylacticarum, quam therapeuticarum, in eo conſiſtere, vt tonus contextus celluloſi, praecipue interni, omni ſtudio & opera data, conſeruetur; debilitas vero fors inducta, quantocyus fieri poteſt, emendetur, omneſque occaſiones illam producentes, angue & cane peius fugiantur. In hoc certe puncto, omnia ex obſeruatis enaſcentia corollaria, perfecte collineant, adeo vt nullum de hac re dubium reſtare poſſit. Omnes itaque euacuationes, quae maſſam humorum laudabilium minuere; vires vitae frangere; circulationem in vaſis minimis perimere; affluxum humorum ad primas vias copioſum excitare, & quod caput rei eſt, tonum contextus celluloſi interni, debilitando, aut prorſus deſtruendo, materiam perſpirabilem, miaſmate peſtilenti imbutam, ex peripheria verſus centrum, h. e ex contextu celluloſo externo verſus internum, deriuare aptae natae ſunt, tantum abeſt, vt vel minimam vtilitatem in peſte promittant, quin detrimenta lethalia procreare debeant. Aſſertionis huius veritatem, ex principiis phyſiologicis & pathologicis facillimo negotio probandam, experientia conſtantiſſima, in omnibus peſtibus, aequali modo ſtabilita, ſat ſuperque confirmat. Quamuis vtraque euacuatio, venaeſectiones nempe & laxantia, ſequelas fere conſimiles inducat; citior tamen a prioribus ſemper noxa (poſt debilitatem plerumque repentinam, mors valde praecox) obſeruata fuit. Qui tamen ex naribus ſubinde, aut inciſionibus tam bubonum quam carbunculorum, lentiſſime

ſtillat ſanguis valde diſſolutus (exper. XIX.), non ſemper lethalem euentum praeſagit; ſed plerumque naturam jam victricem factam, & circulationem in vaſis contextus celluloſi externi, rediuiuam, indigitat; vti diſſolutio eius fere aquoſa, hypotheſin, de neceſſaria, adipis cum ſanguine per venas ad cor reduci, admixtione; hic vero, ex miaſmatis peſtilentis in tunicam adipoſam actione nociua, turbata, illuſtrare & corroborare poteſt.

Cur vero eccoprotica conuenientia, in periodo infectionis, non tantum innoxia, ſed quandoque vtilia viſa fuerint (exper. XVII.); ratio in eo poſita eſſe videtur, quod materia peccans, tunc adhuc mobilis, tono primarum viarum haud multum infirmato, & leniſſimo hoc ſtimulo vix labefactando, per viam hanc ſuccedaneam, ſalutari effectu, euacuari potuerit. Aliter vero ſe res habet, quando atonia longius proceſſerit, & materia illa jam viſcoſa, infarcta, vixque loco mouenda euaſerit; tunc violentior quaecunque a medicamento purgante irritatio, non tantum ſequelas ſupra indigitatas actutum producet; ſed hoc praeſertim nomine, quod affluxum humorum e toto corpore, eorumque inter duplicaturas peritonei accumulationem accelerando, niſui naturae expultrici, qui ſemper verſus exteriora directus eſt, e diametro oppoſita erit. Hinc porro liquet, cur non omnia promiſcue vomitoria, ſed praeſertim, quae vi roborante inſimul praedita ſunt, proficua; vehementiora vero intempeſtiue propinata, aut ſine neceſſitate reiterata, noxia animaduerſa fuerint (cfr. exper. XXI. & conſect. XVI.).

XIX.

Delectus eſculentorum & potulentorum, tam in praecauenda, quam in curanda peſte, maximi momenti eſt, & ex hoc praeſertim principio determinandus eſſe videtur: vt omnia, quae fermentationem & acrimoniam acidam in primis

primis viis, excitare potis ſunt, ſummo ſtudio vitentur, & non niſi eupepta, nutrientia, refocillantia, acida perfecta & roborantia in vſum trahantur.

Quanta ratio primarum viarum & praeprimis ventriculi habenda ſit, ſi in auerſione vel curatione peſtis proficere velimus, non ſolum ex iis, quae in conſectariis praecedentibus in medium attuli, ſed etiam ex obſeruatis numeroſis, ſub experientiis paſſim traditis, abunde liquet. Diuerſiſſima conditio ventriculi ſani & robuſti, qui menſtruis ſuis naturalibus inſtructus, omnia fere ingeſta, in chylum laudabilem & vniformem digerere valet, ab illa in ſtatu morboſo, vbi vis concoctrix jam vitiata, vel prorſus ſublata eſt, & menſtrua debita quoque deficiunt, maximam certe reflexionem expoſcit. Ventriculus parum tantum infirmatus, ſaltem alimenta faciliora quomodocunque ſubigit; atonus vero factus, fere tanquam digeſtorium conſiderari poteſt, in quo mutationes ex lege naturae conſuetae rebus ei inditis, ſubeundae erunt. Quamvis haud aſſeuerare velim, mutationes haſce, eodem plane modo, in ſtomacho atono, ac in vaſe chemico, obtinere, in quo poſteriore, ingeſta varia vegetabilia & partim quoque animalia, fermentationes, pro indole eorum, varias ſucceſſiue patiuntur, dum multae circumſtantiae in priore concurrentes proceſſus hoſce diuerſimode inuertere poſſunt; hoc tamen indubium eſt, fermentationem acidae ad minimum analogam, in ventriculo, a quacunque cauſſa debilitato & nominatim in peſte, locum habere. Ructus nidoroſi & acidi; ſoda; ardores vrinae; appetitus ſaepe immoderatus, acidi eſurini copiam luxuriantem indigitans; tenacitas humorum; flatulentia & ſegnities alui, jam in periodo infectionis occurrentes; vti quoque motus ſubinde manifeſte fermentans & odor nidoroſus ſaburrae vomitu reiectae, non niſi effectus immediati, fermentationis, & ab illa productae acrimoniae acidae, tonum ventri-

 culi

culi peruertentis, reputari poſſunt. Quid itaque conſultius fieri poterit? quam vt medens quiſque cordatus, in delectu ingerendorum, ſumma circumſpectione vtatur; quia ſucceſſus exoptatus, tam in prophylaxi ordinanda, quam curatione rationali inſtituenda, ex hoc potiſſimum fonte promanat.

Nihil vulgarius eſt, quam vt in febribus continuis, praeſertim ſic dictis putridis, & conſequenter in peſte, vtpote putridiſſima habita, non ſolum acida quaecunque tam vegetabilia quam mineralia perfecta, ſed etiam cruda & aceſcentia varia, dummodo e regno vegetabili petita fuerint, promiſcue in vſum vocentur, & ſumma fiducia, ad putredinem debellandam, in illa collocetur. Ecquis vero non videt? diſcrimen maximum, diuerſas haſce conditiones, acidorum & aceſcentium, intercedere. Illa, praeſertim mineralia, nullae amplius ſubiecta mutationi, tuto propinari poſſunt; haec vero, in ventriculo infirmato, & menſtruis ſuis naturalibus orbato, fermentationem ſubibunt, & neceſſario ſummum detrimentum aegrotis afferent; nam certiſſimum eſt, quod omnis in ventriculo excitata fermentatio, & eius productum acrimonia acida, illum debilitet, flatibus expandat, pituitoſum reddat & ſic porro. Haud obſcure itaque intelligi poteſt, cur, praeter acida mineralia, etiam acidum quodcunque vegetabile perfectum, tam praeclara contra peſtem virtute polleat, quamuis efficaciam ſuam vix aciditate qua tali, ſed vi excitante, roborante, & fibras modice adſtringente exerceat (cfr. conſect. I.). Ad acetum vini & eius praeparata genuina, quoad ſalubritatem proxime accedunt, fructus acidi bene maturi, in quibus acidum jam ſufficienter ex cruda auſteritate extricatum fuerit. Hinc baccae oxycoccos, quae per hyemem ſub niue tenerrimae factae, primo vere colliguntur, quamuis guſtu acidiſſimae, ſentiantur, nullam tamen amplius acrimoniam acidam prouocant, & optimo cum emolumento vſurpari

pari poſſunt; quod etiam de cucumere citrullo *), baccis vaccinii vitis ideae, ribeſiorum, berberis, & aliis nequaquam immaturis affirmare poſſum, quapropter attentione ſemper vtendum erit, ne in delectu, quoad maturitatem error ab incautis obrepat, & tam in qualitate quam quantitate peccetur. Patet ergo, qualis ſucceſſus exſpectandus ſit, quando vti in febribus malignis ita quoque in peſte, fructus varii & eorum ſucci indiſcriminatim, tum etiam ſaccharata, mellita & emulſiones, quantitate ſaepe exorbitante, ex praeiudicio illo fatali, vt acrimonia putrida eo efficacius debelletur, ingeruntur **). Sane, nec mos ille laudandus videtur, quod communiter aegrotis talibus, potus ordinarius, ex decocto hordei, auenae vel oryzae paratur, & pro alimento, praeſertim in ſtatu conualeſcentiae, lac recens, oua ſorbilia ſemicocta ***), pultes

*) Dum aeſtate anni MDCCLXIX. in exercitu ſic dicto ſecundo, per nouam Ruſſiam confinia turcica petente, tum quoque inter incolas ipſos, febres malignae & dyſentericae populariter graſſarentur: promptiſſima medela verſus finem menſis Julii, a citrullis tunc jam matureſcentibus allata fuit: nam quamprimum militibus & indigenis copia eorum fiebat, morbi hi breui ceſſarunt. Nulla vero a reliquis fructibus, e. g. ceraſis, fragariis, rubis idaeis, cucumeribus vulgaribus &c. quamuis antea largiter proſtantibus vtilitas animaduerſa fuit, quin morbi praedicti ſemper in peius ruebant.

**) Non pauca exempla lugubria recordor, quatenus, doctrinae vulgari, de ſumma acidorum qualiumcunque in febribus, praeſtantia, nimis fidentes aegroti moroſiores & ſibi ſapientes, ea ingenti quantitate ingurgitarunt, & ſaepe ex febribus leuidenſibus, victimae mortis propria culpa euaſerunt. Praeter reliqua ſymptomata exaſperata, obſtructio alui pertinax; intumeſcentia abdominis, & exanthemata vrticaria vel purpuracea, tanquam ſequelae, abuſus huius, aceſcentium, obſeruata fuerunt.

***) Oua ſorbilia ſemicocta, communiter pro alimento faciliimae concoctionis habentur; hinc inter prima eſculenta conualeſcentibus concedi ſolent. Sed multiplici experientia edoctus, vſum eorum, in tanta ventriculi debilitate, quae mox poſt ceſſationem febris indubie obtinet, neutiquam ſuadere poſſum. Vitellum oui recens, crudum, innocentiſſimum certe eſt, & non ſemel cum vino meraci quaſſatum, optimum cordiale ſe

tes farinaceae non fermentatae, vel placentae tales, juſcula herbacea, vel alia cruda, tanquam leuiſſimae digeſtionis concedantur; quae omnia a ventriculo debili vix ſubigenda, ſed fermentationem & eius ſequelas producentia, morbum exaſperare, aut vulgares illas recidiuas procreare, apta nata ſunt. E contra eſculenta & potulenta ſub experientiis XXV. & XXX. indigitata, ſemper optime conducere mihi viſa ſunt, & hoc ipſo ſucceſſu conſtantiſſimo, aſſertionem hanc, de ſumme momentoſo diſcrimine inter acida perfecta & aceſcentia cruda, faciendo, pluſquam probabilem reddiderunt.

XX.

Peſtis boum, cum humana magnam ſimilitudinem habet: remedia quoque ſalina & adſtringentia, aeque conducere viſa ſunt.

Menſe Julii anni MDCCLXIX. dum exercitus ſic dictus ſecundus, juxta fortalitium St. Eliſabethae caſtra faceret, lues inter boues, quibus commeatus & impedimenta, maximam quoad partem prouehebantur, ſubito irrepſit; adeo vt vix dum innoteſceret, jam plurimi eorum, in locis diſtinctis, exſtinguerentur. Multum omnino intererat, ne

ſe mihi praeſtitit; aſt, quamprimum ex calore ignis, motus inteſtinus in particulis oleoſis excitatur, aliter omnino ſe res habet, & acrimoniam acidam tunc induit. Nam, toties non ſolum in me ipſo, ſed etiam aliis debilitate ventriculi laborantibus obſeruaui, poſt pauca talia oua ſorbilia ingeſta, ſodam & acrimoniam acidam inſecutam fuiſſe. Noui tales, qui ex vitellis ouorum cum cereuiſia, in vaſe aeneo, ſtanno haud obducto, coctis, ſymptomata mortalia paſſi ſunt. E contra, oua vſque ad duritiem cocta, nullum amplius acorem procreant; & a magno quondam belli Duce relatum mihi fuit, illum, in itineribus, ſemper oua dura, prae ſorbilibus ſaniora inueniſſe; quam obſeruationem ipſe quoque poſtea confirmaui. Nam laxitas ventriculi, ad quemuis motum fortiorem, murmura edentis; obſtructio alui; ſoda; flatulentia, & reliqua incommoda, quae antea ex vſu ouorum ſorbilium in peregrinationibus expertus fui, nunc penitus exularunt.

ne beſtiae hae tam neceſſariae, peſtilentia abſumerentur; juſſit ergo imo rogauit, magnus noſter Archiſtrategus, vt pro viribus ſuppetias ferrem, vel ad minimum, quid bona mens ingereret, periclitarer. Quia ſpiritus vitrioli, in febribus illis malignis, quae hoc & praecedentibus menſibus, tam late vagabantur, euidentiſſima ſe commendaret vtilitate: incidit mihi in mentem, loco huius medicamenti, quod militibus jam vix ſuppetebat, & tamen indicatum credidi, vitriolum de Cypro tentare. Statim itaque, in Pharmacopolio caſtrenſi, aliquot centenas doſes, ſequentis formulae parandas curaui: ℞ Crem. tart. vnc. ß vitr. de cypro gr. VI. camphorae puluerif. gr. II. Pulueres hi per caſtra ea cum praeſcriptione diſtribuebantur, vt aegris bobus, ter quaterue de die, ſcopo vero praeſeruatiuo mane & veſperi tantum, cum mica panis in bolum coacti, intruderentur. Inexſpectata certe laetitia affundor, dum poſt paucos praeterlapſos dies, a belli Ducibus & Praefectis, ſucceſſus curationis huius ſimplicis exoptatiſſimus ſignificaretur; ita quidem, vt ex aegris pauciores jam enecarentur, & reliquis, quibus praecautionis gratia ingererentur, vix aliqui inficerentur. Vſu tunc puluerum horum generali facto, lues ſpatio XIV. dierum in exercitu penitus euanuit, quamvis in prouincia multo diutius ſaeuiret.

Iteratò contigit, vt, anno MDCCLXXX. menſe Junii, dum peſtis haec boum, hic Petropoli & in vicinia erumperet, ab Imperii Senatore & tunc temporis Gubernatore Wolkow, in eundem finem requirerer. Loco cremoris tartari, pro excipiente ſalem ebſonienſem, & in aliis pulueribus ſimplicem culinarem ſumſi, camphora nunc omiſſa; omnem fiduciam in vitriolo de cypro collocans. Nec praeconcepta ſpes, me in totum fefellit, quin iidem effectus ſalutares, a multis, qui in ciuitate hac, pulueres hoſce, debite in vſum vocarunt, nunciarentur. In pago vicino, qui Smolenskaia jemskaia vocatur, ex XXVIII. vaccis lue affectis, quarum plurimae jam ad incitas redactae erant, XVII. perfecte conualuerunt; reliquis quoque, quibus ſcopo praeſeruatiuo propinarentur,

ſaluis

ſaluis reſiſtantibus. In alio vero pago, Wolkowa nominato, ob ſummam obſtinationem & incuriam ruſticorum, curatio haec fere neglecta, minus quidem feliciter ceſſit.

Quia inſtituti ratio haud permittit, totam ſeriem ſymptomatum luis bouinae percurrere: non niſi pauciora, ſed conſtantiſſima & euidentiſſima, ad analogiam cum peſte humana probandam, recenſere, mihi propoſui. Miaſmatis eadem ſubtilitas, acrimonia, & maior fere ac in peſte humana ſeſe exſinuandi facultas, animaduertitur; adeo vt contagium in habitationem quandam admiſſum, perbreui temporis ſpatio, omnes facile boues & vaccas adoriatur, dum ſtrages hominum, non niſi ſucceſſiue fieri ſolet. Quod adipem aeque appetat, corrumpat, in magma viſcoſum reſoluat, & tandem ſi lues in longum protrahatur, fere conſumat, conſimilia, ac in peſte humana, phaenomena, innuunt. Etiam eadem diuiſio, in lue boum obtinere videtur; nam alii, pluſculis diebus, per ſigna leuiora, ſe male habere oſtendunt, & tandem poſt horrores fortiſſimos, morbo lentiore, ſaepe vlt a X. dies, protracto, afficiuntur; dum alii e contra, mox febrem violentiorem, & decurſum vix vltra IV. vel V. dies, durantem, patiuntur; vti quoque pauciores, multo adhuc vehementius correpti, eadem vel altera die emoriuntur; & ſic, periodum infectionis, peſtem lentam, acutam & acutiſſimam exacte referunt. Pituita craſſa, e naribus copioſe propendens, ſegnities alui ex initio, in diarrhoeam ſemper terminata; excrementa ſubuiridia; intumeſcentia mollis abdominis; horripilationes frequentes & anxietates, quarum vehementiam per varias iactationes & impetus violentiſſimos, ſat luculenter produnt: acrimoniam acidam vel potius rancidam, & deriuationem humorum ex contextu celluloſo externo, verſus internum, clare, vt puto, indigitant. Loco bubonum, carbunculorum & exanthematum, in multis, puſtulae breui exſiccatae, & in cruſtas quaſi lacteas permutatae, inter ſcapulas & ſpinam dorſi, quam maxime vero in mammis, & quidem cum euphoria prodeunt; ita vt communiter,

poſt

poſt haſce eruptiones, omnia mitiora fiant. Stomachum, ſedem morbi primariam eſſe, praeter ſymptomata luculentia, ſectiones toties inſtitutae, indubie commonſtrant. In lue prouectiore, adeps in tunica cellulosa fere conſumitur, & cutis ita areſcit, vt praeſertim circa lumbos, digitis pulſata, pergameni extenſi inſtar, ſonum obtuſum edat.

Quod vero atonia primarum viarum & praecipue ſtomachi, in lue quoque boum, cauſſa proxima ipſius morbi, reputanda ſit, ex ſalutari vitrioli de cypro efficacia, etiam ſi alia argumenta deficerent, dilucide probari poteſt; nam aciditas ſex granorum vitrioli, ad putredinem, ſi quae, ſaltem in initio, adeſſet, corrigendam, nequaquam ſufficeret; vis autem ſtiptica, in vitriolo crudo, potiſſimum praeualet. Hic Petropoli, loco puluerum, etiam ſpiritum vitrioli, cum aqua frigida, ad ſufficientem vſque acorem commixtum, librae circiter vnius quantitate, ter quaterue de die, in gulam infundere juſſi, & in jam deſperato ſtatu, ſanationem praeter ſpem, obtinui. Hinc, clyſmata talia, praeſertim quando diarrhoea jam inſtat, valde proficua futura, judico, quae tamen, ob varia impedimenta, a me praetermiſſa fuiſſe valde doleo. Cremori tartari, ob flatulentias quas producere ſolet, ſal ebſonienſe, & demum culinare ſubſtitui, camphoramque, a qua, in peſte humana, quamuis ſat largiter propinata, nullam vtilitatem obſeruaui, conſulto omiſi; nec minimum detrimentum, quoad efficaciam remedii exinde redundans, perſpexi. Ad tenacitatem humorum infarctorum incidendam, loco ſalium mediorum, muria halecum, tanquam vili pretio proſtans medium, repetitis vicibus, in principio morbi, ante diarrhoeam exhibita, perbelle proficere videbatur.

Dum itaque, peſtis bouina cum humana, non obſtante ſtructura corporum, & reliquis circumſtantiis tantopere variantibus, quoad conformitatem contagii, decurſus, ſymptomatum, & curationis ipſius, in

 eſſen-

eſſentialibus tam euidenter conſpiret, & conſequenter conſimiles cauſſas agnoſcat: ſperare auſim, theoriae hucuſque propoſitae, non parum roboris inde accedere.

XXI.

Quae de natura & curatione peſtis hactenus in medium protuli, ex analogia ſumma, quae illam & febres malignas, aliaſque continuas catarrhalis generis, intercedit, illuſtrari poſſunt.

Conformitas inter peſtem lentam & febres malignas praeſertim petechiales tam euidens & fraudulenta eſt, vt, quia in initio luis, etiam a Medicis ſat exercitatis vix a ſe inuicem diſtinguantur, errori omnium in Medicina funeſtiſſimo toties anſam praebuerit. Vti peſtem lentam periodus infectionis praecedit, ſic etiam febres malignae aduentum ſuum, per conſimiles fere indiſpoſitiones praecurſorias, e. g dolores capitis, grauedinem & laſſitudinem corporis, anorexiam, guſtum deprauatum, ardores vrinae &c. plerumque annunciare ſolent; & vulgaris illa obſeruatio, quod nimirum, quo diutius aegrotus, ante ingreſſum febris ipſius, receſſus a ſanitate leuiores expertus fuerit, eo periculoſiorem morbum ipſum futurum, etiam in peſte lenta locum habet. Symptomata quoque facile omnia, characteriſticis ſolum exceptis, non niſi acrimonia contagii in vtraque ſingulari, quametſi valde affini, & hinc procreata maiori eius in peſte efficacia, diſcrepare videntur. Nam miaſma peſtilens debilius in initio graſſationis, plerumque laruam febris petechialis induit (exper. II.), & in fine varias illas malignas producit; criteriis pathognomonicis, ſaltem hinc inde, vbi cauſſae occaſionales efficaciores concurrerint, proſilientibus (exper. IX. X. & confect. VIII.). Quid mirum itaque? quod etiam indicationes curatiuae & tota methodus medendi, vtrobique fere conueniant. Certe, multae febres malignae

lignae in ipſis incunabulis ſuffocari poſſent, ſi patientes, quamprimum indiſpoſitionibus praecurſoriis afficiuntur, exercitio corporis, regimine vitae apto, & mediis ſub periodo infectionis (exper. XVII.) indicatis, praeprimis ſudoriferis, ad expulſionem contagii in celluloſa externa nidulantis & huiuſque adhuc mobilis, rite vte entur, priuſquam febre accenſa, materia peccans, verſus contextum celluloſum internum deriuata, viſcera nobiliora vehementius adoriatur, & infarctu pertinaci, morbum diuturnum & periculoſum efficiat. Quae, in peſte lenta, luculentiſſime profuerunt ſalia media, reſocillantia, roborantia, & in primis acida mineralia (exper. XIX.), in febribus quoque malignis genuinam & nuperrimis experientiis *) confirmatam curationem abſolvunt. Quod vero vomitoria intempeſtiue, praeſertim fortiora vel iterato propinata, in febribus malignis aeque ac in peſte lenta, & ex iiſdem veroſimiliter cauſſis, ſummopere noceant, ex multa obſeruatione in conuicto mihi eſt.

Peſtis acuta maximam ſimilitudinem habet cum febribus ſic dictis catarrhalibus, quae nempe perſpirationem vel penitus ſuppreſſam, vel ſaltem inſigniter imminutam, pro cauſſa ſua agnoſcunt. Tota facies, ſi ſigna pathognomonica, & decurſum morbi, in peſte multo celeriorem & atrociorem excipias, fere eadem; imo haud raro in febribus catarrhalibus congeſtiones materiae perſpirabilis verſus exteriora, praeprimis ad glandulas colli & parotides, ſimili modo, quamuis citra tantum periculum, ac in peſte, fiunt. Multae harum febrium, prae-

 ſertim

*) Methodus Medici Angli Lettſom, qua in febribus malignis, optimo cum ſucceſſu, vino, cereuiſia forti, elixirio vitrioli & cortice peruuiano vſus eſt, etiam in Francia approbationem non ſolum Medicorum primi ordinis, ſed etiam regiminis ipſius, nuper promeruit.

ſertim epidemicae, contagio *) itidem euidenti, ſed longe debiliore & a peſte diuerſo pollent; aliae vero ab acrimonia ſiue intus in corpore generata, ſiue ab extus verſus interiora deriuata (plerumque materia ipſa perſpirabili ſtagnanti & acri facta) produci videntur, & in hoc puncto cum peſte acuta apprime conſpirant, quod euacuatione contagii vel acrimoniae in ipſo principio & quamdiu adhuc moueri poſſunt, per viam naturalem perſpirationis peracta, perfecte finiantur. Et ad hanc praecipue mobilitatem, quae in peſte multo breuioris durationis, ac in febribus catarrhalis generis exiſtit (exper. XXI. & conſect. XIV.), ſummopere attendendum eſt, ne poſtmodum irrito, imo noxio cum effectu, in hiſce poſterioribus ſudores extorquere conemur, qui quamprimum materia peccans profundius radicata, obſtructiones tenaciores in contextu celluloſo externo produxerit, aut demum verſus internum deriuata, jam immobilis fere, coctionem futuram praeſtolatur, in ſtatu hoc prouectiori, aut plane non, aut colliquatiui, & conſequenter ſumme nociui prodibunt; natura inſuper ex ſtimulo fruſtraneo labefactata. Nullus dubito, methodum ſudoriferam, a natura ipſa, etiam rudiſſimae plebi vndique locorum inculcatam, poſt Sydenhamii tempora, hanc praecipue ob rationem, in tam malam exiſtimationem veniſſe, (vt ea vtens Medicus, notam ignorantiae apud reliquos vix effugiat) & ab omnibus ferme

*) Febres multas malignas, praeſertim petechiales, miaſmate proprio gaudere in confeſſo eſt. Epidemia illa catarrhalis, quae Ao 1781. e Siberia, (vt dicebatur) erumpens, magnamque partem Ruſſiae & Europae reliquae ſucceſſiue peruadens, ſub epitheto influenzae, celebris facta fuit, certe contagioſa erat, & per diaphoretica ſola, mature adhibita, curationem perfectam admiſit. E contra, venaeſectionibus & laxantibus tractata, ſaepe in febrem malignam, ſubinde quoque lethalem tranſiit. Conſimiles epidemias, vere Ann. 1762. dum cohors, cui illuſtriſſ. Comes de Czernicheff praeerat ex Comitatu Glaziae verſus Poloniam ducebatur, in *Sileſia*, & ſub finem Ann. 1766. hic Petropoli graſſantes, recordor, in quibus eadem methodus diaphoretica optime ceſſit.

me Syſtematicis negligi imo vituperari, quod antiquiores Medici, cauſſam vti peſtis ſic etiam febrium grauiorum in malignitate ponentes, eam non ſolum in principio morbi, ſed quouis tempore vſque ad finem, & quidem vtplurimum remediis calidiſſimis a corde expellere conabantur; hocque eo maiori cum fiducia, quia non raro iis ſucceſſit, aegrotos tales mature perſanare, reliquorum vero mortes, malignitati indomabili, putredini & aliis cauſſis tribuere ſolebant. Profecto, res minime indifferens eſt, an ſudores per media varia inepta & partim violenta (conſ. X.) quomodocunque coacte protrudantur, aut per ſtimulantia leniſſima, reſoluentia & roborantia blande eliciantur. Priora rarius & tunc ſolum exitum tolerabilem producent, quando natura robuſta etiam errata craſſiſſima deuincere valet, dum poſteriora non niſi leniter operantur, & ſi non ſemper febrem penitus tollant, neutiquam tamen nocebunt. Nunquam me poenituit, vti in peſte, ſic etiam in initio febrium catarrhalium, vel aliarum continuarum ſimplicium, ſudorifera optimae notae, e. g. Spiritum nitri dulcis, Mindereri, & praecipue Mixturam ſimplicem, vel per ſe, vel cum ſalibus mediis in vehiculo conuenienti pro re nata diuerſimode commixta, in vſum vocaſſe. Vberrima & conſtanti experientia conuictus ſum, febres tales, methodo hac diaphoretica, in recenti adhuc morbo perfecte curari, vel ſaltem longior eorum decurſus, in malignitatem tranſitus, & mortis ipſius periculum auerti poſſe. Similiter, ac in prouectiori ſtadio peſtis acutae, ſudorifera locum amplius non habuerunt, & vnica ſpes in remedia reſoluentia, roborantia & nominatim Spiritum vitrioli poſita fuit (exper. XXI.): ſic quoque in ſtatu procraſtinato febrium catarrhalium, iiſdem euidenti cum ſucceſſu ſemper vſus ſum.

Inuaſiones illae febriles vehementiſſimae, quae cum horroribus validis & in longum protractis, anxietate ſumma, pulſu exili celerrimo, doloribus capitis & haud raro praecordiorum acerbiſſimis, calore ex ſuperficie corporis exulante, ſudoribus frigidis, proſtratione virium repen-

tina & ſic porro, ſubinde, & praeſertim in epidemiis febrium catarrhalium, tum quoque ex refrigerio poſt repletum ſtomachum, caeterum hucuſque ſanos, quaſi ex improuiſo adoriri ſolent: peſtem acutiſſimam recte admodum referunt. Nec curatio diſcrepare viſa fuit. Nam quosdam, ſi ingurgitatio ciborum immediate praeceſſerit, ſolo emetico propinato, quaſi reuiuiſcentes vidi; in aliis vero ad vires vitae & circulationem labantem reſtaurandas, frictiones corporis, odoramenta & cardiaca praemittere neceſſe fuit. Tandem remedia diaphoretica incontinenter exhibita, omnia ita in melius mutarunt, vt poſt ſudores prorumpentes, morbus totus quantus, aut illico frangeretur, aut ſaltem in febrem leuidenſem, facili negotio profligandam tranſiret. Cauſſam vero tantorum tumultuum, aeque ac in peſte acutiſſima, vix aliam quam ſubitaneam, a quacunque cauſſa effectam, materiae perſpirabilis acris, verſus praecordia & praeſertim ventriculum, deriuationem, ſtatuendam eſſe, omnia euincere videntur ſymptomata.

Vti euacuationes illae ſolennes, venaeſectio puta & purgantia, non tantum ex mea, ſed aliorum quoque autoptarum experientia, in peſte tam nociuae animaduerſae fuerint: ita quoque in febribus malignis & aliis catarrhalibus parum conducere, ex obſeruatis clarorum virorum, extra omnem dubii aleam ponitur. Quod vero non ſemper noxas lethales noceant, hoc energiae naturae praeualenti, errores tales aliquando ſuperanti, vel aptiori medelae, poſtmodum in vſum tractae, adſcribendum erit.

à plaque